CATILINA

EX C. SALLVSTII CRISPI

DE CATILINAE CONIVRATIONE

LIBRO

ET M. TVLLII CICERONIS

ORATIONIBVS IN CATILINAM



AD VSVM DISCIPVLORVM CVRAVIT
IOHANNES H. ØRBERG

CATILINA

EX C. SALLVSTII CRISPI
DE CATILINAE CONIVRATIONE LIBRO
ET M. TVLLII CICERONIS
ORATIONIBVS IN CATILINAM

AD VSVM DISCIPVLORVM EDIDIT
HANS H. ØRBERG

DOMVS LATINA
ANNO MMV

CATILINA

© Hans H. Ørberg, *Domus Latina* 2005
Omnia proprietatis iura reservantur

Ex officina typographica *Special-Trykkeriet Viborg*

ISBN 87-90696-11-5

RES QVAE HOC LIBRO CONTINENTVR

SALLVSTII DE CATILINAE CONIVRATIONE
1–4 [*Dē fāmā quaerendā*] 5
5, 14–16 [*Dē Catilīnae mōribus*] 7
16–18, 20–31 [*Dē coniūrātiōne Catilīnae*] 9

CICERONIS IN CATILINAM ORATIO I 20

SALLVSTII DE CATILINAE CONIVRATIONE
31–32, 34, 36–37, 39–48 [*Dē coniūrātiōne patefactā*] 36

CICERONIS IN CATILINAM ORATIO III.1–17, 29 44

SALLVSTII DE CATILINAE CONIVRATIONE
48, 50–55 [*Dē suppliciō coniūrātōrum*] 54
56–61 [*Dē bellō Catilīnāriō*] 67

CICERONIS PRO CAELIO ORATIO
12–14 [*Dē nātūrā Catilīnae*] 73

INDEX VOCABVLORVM 75

INDEX NOMINVM 78

NOTAE 79

In margine pāginārum explānantur vocābula
quae nōn reperiuntur in librīs quī īnscrībuntur
LINGVA LATINA PER SE ILLVSTRATA
PARS I: FAMILIA ROMANA
PARS II: ROMA AETERNA



CONSVLES ROMANI

annō a. C.		annō a. u. c.
66	*M'. Aemilius Lepidus* *L. Volcatius Tullus*	DCLXXXVIII
65	*L. Aurēlius Cotta* *L. Mānlius Torquātus*	DCLXXXIX
64	*L. Iūlius Caesar* *C. Mārcius Figulus*	DCXC
63	*M. Tullius Cicerō* *C. Antōnius*	DCXCI
62	*D. Iūnius Sīlānus* *L. Licinius Mūrēna*	DCXCII

C. SALLVSTII CRISPI
DE CATILINAE CONIVRATIONE

[*Dē fāmā quaerendā*]

1 Omnēs hominēs quī sēsē student praestāre cēterīs animā-
libus summā ope nītī decet, nē vītam silentiō trānseant
velutī pecora, quae nātūra prōna atque ventrī oboedi-
entia fīnxit. Sed nostra omnis vīs in animō et corpore
sita est; animī imperiō, corporis servitiō magis ūtimur,
alterum nōbīs cum dīs, alterum cum bēluīs commūne
est. Quō mihi rēctius vidētur ingenī quam vīrium opibus
glōriam quaerere et, quoniam vīta ipsa quā fruimur
brevis est, memoriam nostrī quam māximē longam
efficere. Nam dīvitiārum et fōrmae glōria flūxa atque
2 fragilis est, virtūs clāra aeternaque habētur. ... Sed multī
mortālēs, dēditī ventrī atque somnō, indoctī incultīque
vītam sīcutī peregrīnantēs trānsiēre; quibus profectō
contrā nātūram corpus voluptātī, animus onerī fuit.
Eōrum ego vītam mortemque iūxtā aestimō, quoniam
dē utrāque silētur. Vērum enimvērō is dēmum mihi
vīvere atque fruī animā vidētur quī aliquō negōtiō in-
tentus praeclārī facinoris aut artis bonae fāmam quaerit.

Sed in magnā cōpiā rērum aliud aliī nātūra iter osten-
3 dit. Pulchrum est bene facere reī pūblicae, etiam bene
dīcere haud absurdum est; vel pāce vel bellō clārum
fierī licet; et quī fēcēre et quī facta aliōrum scrīpsēre,
multī laudantur. Ac mihi quidem, tametsī haudquāquam
pār glōria sequitur scrīptōrem et āctōrem rērum, tamen
in prīmīs arduum vidētur rēs gestās scrībere: prīmum

studēre +*acc*+*īnf*: cupere
silentiō : ita ut dē iīs sileātur (: nūlla sit fāma)
vel-utī = velut
prōnus -a -um = inclīnātus (↔ ērēctus)
fingere = efficere (figūrā), (reī) figūram dare
bēlua -ae *f* = bēstia
nōm -ium/-ius, *gen* -ī = -iī: ingenī = ingeniī [in'genī]
nostrī (*gen*) = dē nōbīs
flūxus -a -um (< fluere) = varius, incertus
virtūs (↔ vitium) = honestās, dignitās, fidēs
in-cultus -a -um = rudis
peregrīnārī (< peregrīnus) = terrās aliēnās peragrāre
voluptātī esse : voluptātem afferre, iūcundum esse
onerī esse = molestum esse
iūxtā *adv* = aequē
dē utrāque silētur : dē iīs nec vīvīs nec mortuīs fāma est
anima : vīta
aliud aliī (*dat*), *aliud aliī*
absurdus -a -um = vānus, stultus
haud-quāquam = nē-quāquam
āctor rērum = quī rēs agit
in prīmīs = praecipuē
arduum : difficile

ex-aequāre (+*dat*) = aequum facere (atque)
: *ea* quae dīxeris cum dēlicta reprehenderis
male-volentia < *male-volēns* (< male velle)

quae suprā ea (: difficiliōra) *sunt*
prō falsīs dūcere = falsa esse exīstimāre
adulēscentulus -ī *m* = adulēscēns (vix xx annōrum)

pudor = modestia
abstinentia -ae *f* < abstinēns
animus *meus* (: ego)
a-spernārī = spernere
īn-solēns + *gen* = quī nōn solet (facere), ignārus
ambitiō -ōnis *f* = cupiditās honōris
cum... dissentīrem = etsī ... dissentiēbam
fāmā : malā fāmā

vexāre = turbāre; honōris cupīdō... mē vexābat
animus *meus* (: ego)

aetātem : vītam

mihi nōn fuit cōnsilium
socordia -ae *f* = dēsidia -ae *f* = inertia, ignāvia
con-terere = cōnsūmere
aetātem/vītam agere = vīvere
ā quō inceptō....., eōdem regressus : regressus ad idem inceptum studiumque ā quō mē ambitiō mala detinuerat
dē-tinēre = abs-, retinēre
carptim *adv* = singulās excerpēns
per-scrībere = accūrātē s.
partēs (reī pūblicae) = factiōnēs

ab-solvere = plānē expōnere, nārrāre

quod factīs dicta exaequanda sunt; dehinc quia plērīque, quae dēlicta reprehenderis, malevolentiā et invidiā dicta putant; ubi dē magnā virtūte atque glōriā bonōrum memorēs, quae sibi quisque facilia factū putat, aequō animō accipit, suprā ea velutī ficta prō falsīs dūcit.

Sed ego adulēscentulus initiō, sīcutī plērīque, studiō ad rem pūblicam lātus sum, ibique mihi multa adversa fuēre. Nam prō pudōre, prō abstinentiā, prō virtūte audācia, largītiō, avāritia vigēbant. Quae tametsī animus aspernābātur īnsolēns malārum artium, tamen inter tanta vitia imbēcilla aetās ambitiōne corrupta tenēbātur; ac mē, cum ab reliquōrum malīs mōribus dissentīrem, nihilō minus honōris cupīdō eādem quā cēterōs fāmā atque invidiā vexābat.

Igitur, ubi animus ex multīs miseriīs atque perīculīs 4
requiēvit et mihi reliquam aetātem ā rē pūblicā procul habendam dēcrēvī, nōn fuit cōnsilium socordiā atque dēsidiā bonum ōtium conterere, neque vērō agrum colundō aut vēnandō, servīlibus officiīs, intentum aetātem agere; sed ā quō inceptō studiōque mē ambitiō mala dētinuerat, eōdem regressus statuī rēs gestās populī Rōmānī carptim, ut quaeque memoriā digna vidēbantur, perscrībere, eō magis quod mihi ā spē, metū, partibus reī pūblicae animus līber erat. Igitur dē Catilīnae coniūrātiōne quam vērissimē poterō paucīs absolvam; nam id facinus in prīmīs ego memorābile exīstimō sceleris atque perīculī novitāte. Dē cuius hominis mōribus pauca prius explānanda sunt quam initium nārrandī faciam.

[*Dē Catilīnae mōribus*]

5 L. Catilīna, nōbilī genere nātus, fuit magnā vī et animī et corporis, sed ingeniō malō prāvōque. Huic ab adulēscentiā bella intestīna, caedēs, rapīnae, discordia cīvīlis grāta fuēre, ibique iuventūtem suam exercuit. Corpus patiēns inediae, algōris, vigiliae, suprā quam cuiquam crēdibile est. Animus audāx, subdolus, varius, cuius reī libet simulātor aut dissimulātor; aliēnī appetēns, suī profūsus; ārdēns in cupiditātibus; satis ēloquentiae, sapientiae parum. Vāstus animus immoderāta, incrēdibilia, nimis alta semper cupiēbat.

Hunc post dominātiōnem L. Sullae libīdō māxima invāserat reī pūblicae capiundae, neque id quibus modīs adsequerētur, dum sibi rēgnum parāret, quicquam pēnsī habēbat. Agitābātur magis magisque in diēs animus ferōx inopiā reī familiāris et cōnscientiā scelerum, quae utraque iīs artibus auxerat quās suprā memorāvī. Incitābant praetereā corruptī cīvitātis mōrēs, quōs pessima ac dīversa inter sē mala, luxuria atque avāritia, vexābant. ...

[*Hīc disseritur dē mōribus cīvitātis:* 'ut paulātim immūtāta ex pulcherrimā atque optimā pessima ac flāgitiōsissima facta sit.']

14 In tantā tamque corruptā cīvitāte Catilīna – id quod factū facillimum erat – omnium flāgitiōrum atque facinorum circum sē tamquam stīpātōrum catervās habēbat. Nam quīcumque impudīcus, adulter, gāneō, manū, ventre, pene bona patria lacerāverat, quīque aliēnum aes grande cōnflāverat, quō flāgitium aut facinus

L. *Sergius* Catilīna
genus = gēns (: gēns *Sergia*)
intestīnus -a -um = internus
ibi : in iīs rēbus
in-edia -ae *f* = famēs
algor -ōris *m* = frīgus
crēdibilis -e ↔ incrēdibilis
subdolus -a -um = dolō ūtēns
cuius-libet reī
(dis)simulātor -ōris *m* = quī (dis)simulat
profūsus = largus; suī p. = quī suum pro-fundit (: largītur)
satis ēloquentiae *eī erat*
im-moderātus -a -um ↔ moderātus
ad-sequī = as-sequī
dum + *coni* = dummodo
nihil (nec quicquam) pēnsī habēre = nihil cūrāre
familiāris -e < familia; rēs f. = pecūnia, bona
cōnscientia -ae *f* = mēns cōnscia (suī sceleris)
utraque (*n pl*): inopiam... et cōnscientiam...
incitābant *eum*
im-mūtāre = mūtāre
flāgitia/facinora: cīvēs flāgitiōsī/*facinorōsī* (= scelestī)
stīpātor -ōris *m* = satelles
gāneō -ōnis *m* = vir luxuī dēditus
penis -is *m* = membrum virīle
(bona) lacerāre : perdere
aes aliēnum = pecūnia mūtua
cōn-flāre = colligere

redimeret, praetereā omnēs undique parricīdae, sacrilegī, convictī iūdiciīs aut prō factīs iūdicium timentēs, ad hoc quōs manus atque lingua periūriō aut sanguine cīvīlī alēbat, postrēmō omnēs quōs flāgitium, egestās, cōnscius animus exagitābat, eī Catilīnae proximī familiārēsque erant. Quod sī quis etiam ā culpā vacuus in amīcitiam eius inciderat, cotīdiānō ūsū atque illecebrīs facile pār similisque cēterīs efficiēbātur. Sed māximē adulēscentium familiāritātēs appetēbat: eōrum animī mollēs etiam et flūxī dolīs haud difficulter capiēbantur. Nam ut cuiusque studium ex aetāte flagrābat, aliīs scorta praebēre, aliīs canēs atque equōs mercārī, postrēmō neque sūmptuī neque modestiae suae parcere, dum illōs obnoxiōs fīdōsque sibi faceret. ...

Iam prīmum adulēscēns Catilīna multa nefanda stupra 15
fēcerat, cum virgine nōbilī, cum sacerdōte Vestae, alia huiusce modī contrā iūs fāsque. Postrēmō captus amōre Aurēliae Orestillae (cuius praeter fōrmam nihil umquam bonus laudāvit!), quod ea nūbere illī dubitābat timēns prīvignum adultā aetāte, prō certō crēditur necātō fīliō vacuam domum scelestīs nuptiīs fēcisse! Quae quidem rēs mihi in prīmīs vidētur causa fuisse facinus mātūrandī. Namque animus impūrus, dīs hominibusque īnfēstus, neque vigiliīs neque quiētibus sēdārī poterat: ita cōnscientia mentem excitam vāstābat. Igitur color eī exsanguis, foedī oculī, citus modo, modo tardus incessus: prōrsus in faciē vultūque vēcordia inerat.

Sed iuventūtem quam, ut suprā dīximus, illēxerat, 16

facinus redimere = sē redimere ā poenā facinoris
sacrilegus -ī *m* = quī templum dīripuit, impius
ad hoc = praetereā
per-iūrium -ī *n* = falsum iūs iūrandum
egestās -ātis *f* (< egēre) = inopia rērum necessāriārum
cōnscius animus = cōnscientia (sceleris)
etiam : etiam tum
ā culpā vacuus = īnsōns
in-cidere -cidisse < in- + cadere

familiāritās -ātis *f* (< familiāris) = amīcitia

praebēre, mercārī, parcere : praebē*bat*, mercā*bātur*, parcē*bat*

obnoxius -a -um (+ *dat*) = quī (multum) dēbet, obsequēns, serviēns

cuius (*in quā*) nihil umquam *vir* bonus laudāvit praeter fōrmam (*pulchram*)
dubitāre + *īnf* = cūnctārī
prīvignus -ī *m* = coniugis fīlius priōre coniuge nātus
prō certō = certō *adv*

mātūrāre = mātūrē facere, properāre
im-pūrus -a -um ↔ pūrus

ex-ciēre -cīvisse -citum = excitāre, concitāre
vāstābat : perturbābat
ex-sanguis -e = pallidus
incessus -ūs *m* < incēdere
prōrsus *adv* = plānē
vēcordia -ae *f* = īnsānia
dīximus : dīxī

multīs modīs mala facinora ēdocēbat. Ex illīs testēs signātōrēsque falsōs commodāre; fidem, fortūnās, perīcula vīlia habēre, post, ubi eōrum fāmam atque pudōrem attrīverat, māiōra alia imperābat. Sī causa peccandī in praesēns minus suppetēbat, nihilō minus īnsontēs sīcutī sontēs circumvenīre, iugulāre; scīlicet nē per ōtium torpēscerent manūs aut animus, grātuītō potius malus atque crūdēlis erat.

ē-docēre = docēre
signātor -ōris *m* = quī signat (testāmentum)
commodāre = ūtendum praebēre; (: commodā*bat*)
vīlia habēre *eōs ēdocēbat*
at-terere -trīvisse -trītum = absūmere
in praesēns *tempus*
sup-petere = (satis) adesse
sōns sontis ↔ īnsōns
circumvenīre = falsō accūsāre
: circumveni*ēbat*, iugulā*bat*
torpēscere = iners fierī
grātuītō *adv* = sine mercēde, sine causā

[*Dē coniūrātiōne Catilīnae*]

Eīs amīcīs sociīsque cōnfīsus Catilīna, simul quod aes aliēnum per omnēs terrās ingēns erat, et quod plērīque Sullānī mīlitēs, largius suō ūsī, rapīnārum et victōriae veteris memorēs, cīvīle bellum exoptābant, opprimundae reī pūblicae cōnsilium cēpit. In Italiā nūllus exercitus; Cn. Pompēius in extrēmīs terrīs bellum gerēbat; ipsī cōnsulātum petentī magna spēs; senātus nihil sānē intentus; tūtae tranquillaeque rēs omnēs – sed ea prōrsus opportūna Catilīnae.

cōnfīsus = cōnfīdēns
Sullānus -a -um < Sulla
suō : suīs bonīs
ex-optāre = optāre
nūllus exercitus *erat*
bellum *Mithridāticum*
ipsī... magna spēs *erat*
nihil *adv* = minimē

17 Igitur circiter kalendās Iūniās, L. Caesare et C. Figulō cōnsulibus, prīmō singulōs appellāre, hortārī aliōs, aliōs temptāre: opēs suās, imparātam rem pūblicam, magna praemia coniūrātiōnis docēre. Ubi satis explōrāta sunt quae voluit, in ūnum omnēs convocat quibus māxima necessitūdō et plūrimum audāciae inerat. Eō convēnēre senātōriī ōrdinis P. Lentulus Sūra, P. Autrōnius, L. Cassius Longīnus, C. Cethēgus, P. et Ser. Sullae Ser. fīliī, L. Varguntēius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Bēstia,

circiter *adv/prp + acc*
[annō 64 a. C.]
: appellā*bat*, hortā*bātur*, temptā*bat*
im-parātus -a -um ↔ parātus
: docē*bat* (*eōs*)
in ūnum *locum*
in-esse + *dat:* quibus inerat : (in) quibus erat
necessitūdō -inis *f* = necessitās (: egestās)
senātōrius -a -um: ōrdō senātōrius = senātōrēs
P. *Cornēlius* Lentulus Sūra: cōs. annō 71 a. C.

Q. Curius; praetereā ex equestrī ōrdine M. Fulvius Nōbilior, L. Statilius, P. Gabīnius Capitō, C. Cornēlius; ad hoc multī ex colōniīs et mūnicipiīs, domī nōbilēs. Erant praetereā complūrēs paulō occultius cōnsilī huiusce participēs nōbilēs, quōs magis dominātiōnis spēs hortābātur quam inopia aut alia necessitūdō. Cēterum iuventūs plēraque, sed māximē nōbilium, Catilīnae inceptīs favēbat: quibus in ōtiō vel magnificē vel molliter vīvere cōpia erat, incerta prō certīs, bellum quam pācem mālēbant.

Nōbilior -ōris, Capitō -ōnis (cognōmina)
colōniae dīcuntur cīvitātēs Italiae ā colōnīs Rōmānīs conditae; cēterae dīcuntur *mūnicipia* (-cipium -ī *n*)
cōnsilī *gen* = cōnsiliī [cōn'silī]

plēraque iuventūs = plērīque iuvenēs

iī quibus...
cōpia = occāsiō; cōpia erat : licēbat

Fuēre item eā tempestāte quī crēderent M. Licinium Crassum nōn ignārum eius cōnsilī fuisse: quia Cn. Pompēius, invīsus ipsī, magnum exercitum ductābat, cuiusvīs opēs voluisse contrā illīus potentiam crēscere, simul cōnfīsum, sī coniūrātiō valuisset, facile apud illōs prīncipem sē fore.

fuēre quī crēderent = aliquī crēdēbant
M. Crassus, Cn. Pompēius: cōnsulēs annō 70 a.C.
ipsī : Crassō
ductāre = dūcere, dux esse
Crassum voluisse (crēdēbant)
illōs : coniūrātōs

– Sed anteā item coniūrāvēre paucī contrā rem pūbli- 18
cam, in quibus Catilīna fuit; dē quā quam vērissimē poterō dīcam:

dē quā *coniūrātiōne*

L. Tullō et M'. Lepidō cōnsulibus, P. Autrōnius et P. Sulla, dēsignātī cōnsulēs, lēgibus ambitūs interrogātī poenās dederant. Post paulō Catilīna, pecūniārum repetundārum reus, prohibitus erat cōnsulātum petere, quod intrā lēgitimōs diēs profitērī nēquīverat. Erat eōdem tempore Cn. Pīsō, adulēscēns nōbilis, summae audāciae, egēns, factiōsus, quem ad perturbandam rem pūblicam inopia atque malī mōrēs stimulābant. Cum hōc Catilīna et Autrōnius circiter nōnās Decembrēs cōnsiliō commūnicātō parābant in Capitōliō kalendīs Iānuāriīs L.

[annō 66 a. C.]
ambitus -ūs *m* = facinus largītiōne magistrātum petendī
(lēge) interrogāre (+ *gen*) = reum facere, accūsāre
pecūniae repetundae : quae in iūdiciō repetuntur ab eō quī prōvinciam dīripuit; facinus prōvinciam dīripiendī (Catilīna prōvinciam Āfricam dīripuit annō 67)
(nōmen) profitērī = nōmen dare

inopia : egestās

kal. Iān. novī cōnsulēs magistrātum ineunt

Cottam et L. Torquātum cōnsulēs interficere, ipsī fascibus correptīs Pīsōnem cum exercitū ad obtinendās duās Hispāniās mittere. Eā rē cognitā, rūrsus in nōnās Februāriās cōnsilium caedis trānstulerant. Iam tum nōn cōnsulibus modo, sed plērīsque senātōribus perniciem māchinābantur. Quod nī Catilīna mātūrāsset prō Cūriā signum sociīs dare, eō diē post conditam urbem Rōmam pessimum facinus patrātum foret. Quia nōndum frequentēs armātī convēnerant, ea rēs cōnsilium dirēmit. ...

[annō 65 a. C.]
fascēs : magistrātūs potestās (: cōnsulātus)
duae Hispāniae : Hispānia citerior et ulterior
perniciem : necem
quod nī = nisi autem
patrātum foret = patrātum (factum) esset
dir-imere -ēmisse -ēmptum = abrumpere, prohibēre

19 Dē superiōre coniūrātiōne satis dictum. –

dictum *est*

20 Catilīna, ubi eōs quōs paulō ante memorāvī convēnisse videt, tametsī cum singulīs multa saepe ēgerat, tamen in rem fore crēdēns ūniversōs appellāre et cohortārī, in abditam partem aedium sēcēdit atque ibi, omnibus arbitrīs procul āmōtīs, ōrātiōnem huiusce modī habuit:

paulō ante : cap. 17 (p. 9)
agere (cum) = colloquī
in rem esse = ūtile esse
co-hortārī = hortārī
sē-cēdere = discēdere ā cēterīs

"Nī virtūs fidēsque vestra satis spectāta mihi forent, nēquīquam opportūna rēs cecidisset; spēs magna, dominātiō in manibus frūstrā fuissent, neque ego per ignāviam aut vāna ingenia incerta prō certīs captārem. Sed quia multīs et magnīs tempestātibus vōs cognōvī fortēs fīdōsque mihi, eō animus ausus est māximum atque pulcherrimum facinus incipere, simul quia vōbīs eadem quae mihi bona malaque esse intellēxī: nam idem velle atque idem nōlle, ea dēmum firma amīcitia est.

spectātus -a -um = probātus
forent = essent
cecidisset : *nōbīs* contigisset
per ignāviam : per virōs *ignāvōs* (↔ strēnuōs)
captāre = capere cōnārī, appetere
tempestās = tempus, occāsiō
eō : ideō
animus (meus) ausus est : ausus sum

"Sed ego quae mente agitāvī omnēs iam anteā dīversī audīstis. Cēterum mihi in diēs magis animus accenditur, cum cōnsīderō quae condiciō vītae futūra sit, nisi nōsmet

mente agitāre = cōgitāre
dīversī : suō quisque locō vel tempore
condiciō vītae : fortūna
nōs-met = nōs

ipsī vindicāmus in lībertātem. Nam postquam rēs pūblica in paucōrum potentium iūs atque diciōnem concessit, semper illīs rēgēs, tetrarchae vectīgālēs esse, populī, nātiōnēs stipendia pendere – cēterī omnēs, strēnuī, bonī, nōbilēs atque ignōbilēs, vulgus fuimus sine grātiā, sine auctōritāte, eīs obnoxiī quibus, sī rēs pūblica valēret, formīdinī essēmus. Itaque omnis grātia, potentia, honōs, dīvitiae apud illōs sunt aut ubi illī volunt – nōbīs relīquēre perīcula, repulsās, iūdicia, egestātem! Quae quō ūsque tandem patiēminī, ō fortissimī virī? Nōnne ēmorī per virtūtem praestat quam vītam miseram atque inhonestam, ubi aliēnae superbiae lūdibriō fueris, per dēdecus āmittere? Vērum enimvērō – prō deum atque hominum fidem! – victōria in manū nōbīs est. Viget aetās, animus valet – contrā illīs annīs atque dīvitiīs omnia cōnsenuērunt. Tantummodo inceptō opus est: cētera rēs expediet.

“Etenim quis mortālium, cui virīle ingenium est, tolerāre potest illīs dīvitiās superāre, quās profundant in exstruendō marī et montibus coaequandīs – nōbīs rem familiārem etiam ad necessāria deesse? illōs bīnās aut amplius domōs continuāre – nōbīs Larem familiārem nusquam ūllum esse? Cum tabulās, signa, toreumata emunt, nova dīruunt, alia aedificant, postrēmō omnibus modīs pecūniam trahunt, vexant, tamen summā libīdine dīvitiās suās vincere nequeunt! At nōbīs est domī inopia, forīs aes aliēnum, mala rēs, spēs multō asperior. Dēnique, quid reliquī habēmus praeter miseram animam?

in lībertātem vindicāre = līberāre

tetrarchēs -ae *m* = rēgulus
vectīgālēs *sunt*
stipendium -ī *n* = tribūtum; stipendia pend*unt*
cēterī *nōs* omnēs
fuimus : factī sumus

formīdinī esse alicui = ab aliquō *formīdārī* (= valdē timērī), aliquem terrēre
repulsa -ae *f* < re-pellere (dē eō dīcitur quī frūstrā magistrātum petīvit)
quō ūsque = quo-ūsque, quamdiū
ē-morī = morī
in-honestus ↔ honestus
lūdibriō (*dat*) esse alicui = dēlūdī ab aliquō; aliēnae superbiae : aliīs superbīs

prō! = ō!
de*um* = de*ōrum*

annīs...: ob annōs (aetātem) atque dīvitiās
inceptō (coeptō) opus est = incipere opus est
ex-pedīre = peragere (: cētera per sē expedientur)

superāre = super-esse, nimium esse (dīvitiārum)
ex-struere mare = in marī (domōs) exstruere
co-aequāre = aequum (plānum/patentem) facere
continuāre = continuum facere, coniungere
Lar (familiāris) -is *m*, deus quī focum tuētur, focus
toreuma -atis *n* = vās opere *caelātō* (ēminentī) ōrnātum
trahunt : quaerunt
vexant : perdunt


toreuma

anima : vīta

"Quīn igitur expergīsciminī? Ēn illa, illa quam saepe optāstis lībertās! Praetereā dīvitiae, decus, glōria in oculīs sita sunt: fortūna omnia ea victōribus praemia posuit. Rēs, tempus, perīcula, egestās, bellī spolia magnifica magis quam ōrātiō mea vōs hortantur. Vel imperātōre vel mīlite mē ūtiminī! neque animus neque corpus ā vōbīs aberit.

"Haec ipsa, ut spērō, vōbīscum ūnā cōnsul agam – nisi forte mē animus fallit et vōs servīre magis quam imperāre parātī estis."

21 Postquam accēpēre ea hominēs, quibus mala abundē omnia erant, sed neque rēs neque spēs bona ūlla, tametsī illīs quiēta movēre magna mercēs vidēbātur, tamen postulāvēre plērīque, ut prōpōneret, quae condiciō bellī foret, quae praemia armīs peterent, quid ubīque opis aut speī habērent. Tum Catilīna pollicērī tabulās novās, prōscrīptiōnem locuplētium, magistrātūs, sacerdōtia, rapīnās, alia omnia quae bellum atque libīdō victōrum fert. 'Praetereā esse in Hispāniā citeriōre Pīsōnem, in Maurētāniā cum exercitū P. Sittium Nūcerīnum, cōnsilī suī participēs; petere cōnsulātum C. Antōnium, quem sibi collēgam fore spērāret, hominem et familiārem et omnibus necessitūdinibus circumventum: cum eō sē cōnsulem initium agundī factūrum.' Ad hoc maledictīs increpābat omnēs bonōs; suōrum ūnumquemque nōmināns laudāre; admonēbat alium egestātis, complūrēs perīculī aut ignōminiae, multōs victōriae Sullānae, quibus ea praedae fuerat. Postquam

animus *meus*

ūnā vōbīscum
nisi mē animus fallit = nisi fallor
parātus servīre = parātus ad serviendum
accipere : audīre
mala abundē erant : nimium erat malōrum
movēre : turbāre
mercēs : praemium
ubīque : omnīnō
pollicērī : pollicitus est
tabulās novās : dēlētum īrī aes aliēnum (ē tabulīs)
prōscrīptiō < prō-scrībere
sacerdōtium -ī *n* = sacerdōtis officium
Maurētānia -ae *f*, Āfricae regiō contrā Hispāniam
Nūcerīnus < Nūceria, oppidum Campāniae
familiāris -e = amīcus
male-dictum -ī *n* (< male-dīcere) = contumēlia
laudāre : laudā*bat*
admonēre + *gen* (reī = dē rē)
ignōminia -ae *f* = dēdecus, mala fāma
praedae (*dat*) esse = praedam afferre

omnium animōs alacrēs videt, cohortātus ut petītiōnem
suam cūrae habērent, conventum dīmīsit.

Fuēre eā tempestāte quī dīcerent 'Catilīnam, ōrātiōne 22
habitā, cum ad iūs iūrandum populārēs sceleris suī ad-
igeret, hūmānī corporis sanguinem vīnō permixtum in
paterīs circumtulisse! inde cum post exsecrātiōnem
omnēs dēgustāvissent, sīcutī in sollemnibus sacrīs fierī
cōnsuēvit, aperuisse cōnsilium suum, atque eō ita
fēcisse, quō inter sē fīdī magis forent, alius aliī tantī
facinoris cōnsciī.' Nōnnūllī ficta et haec et multa
praetereā exīstimābant ab eīs quī Cicerōnis invidiam,
quae posteā orta est, lēnīrī crēdēbant atrōcitāte sceleris
eōrum quī poenās dederant. Nōbīs ea rēs prō magni-
tūdine parum comperta est.

Sed in eā coniūrātiōne fuit Q. Curius, nātus haud 23
obscūrō locō, flāgitiīs atque facinoribus coopertus,
quem cēnsōrēs senātū probrī grātiā mōverant. Huic
hominī nōn minor vānitās inerat quam audācia: neque
reticēre quae audierat, neque suamet ipse scelera oc-
cultāre; prōrsus neque dīcere neque facere quicquam
pēnsī habēbat. Erat eī cum Fulviā, muliere nōbilī, stuprī
vetus cōnsuētūdō; cui cum minus grātus esset, quia
inopiā minus largīrī poterat, repente glōriāns maria
montēsque pollicērī coepit et minārī interdum ferrō
'nī sibi obnoxia foret'; postrēmō ferōcius agitāre quam
solitus erat. At Fulvia, īnsolentiae Curī causā cognitā,
tāle perīculum reī pūblicae haud occultum habuit, sed
sublātō auctōre dē Catilīnae coniūrātiōne quae quōque

petītiōnem *cōnsulātūs*
cūrae (*dat*) habēre = cūrāre
populārēs = sociī
circum-ferre
exsecrātiō -ōnis *f* < ex-secrārī
dē-gustāre = gustāre
sollemnis -e = quī rītū fit
eō quō (: ideō ut) magis fīdī (: fīdiōrēs) forent (essent)
aliī (*dat*) = cum aliō (...cōnsci*us*)
ficta *esse*
Cicerōnis invidia : populī invidia in Cicerōnem
atrōcitās -ātis *f* < atrōx
nōbīs : mihi
prō magnitūdine : ut reī magnitūdō est
compertus (< comperīre) = quī certō scītur, certus
obscūrus : ignōbilis
co-operīre = operīre
probrum -ī *n* = flāgitium
vānitās -ātis *f* (< vānus) = vāna (stulta) superbia
: reticē*bat*, occultā*bat*,
sua-met = sua
: neque quid dīceret neque quid faceret quicquam pēnsī habēbat (cūrābat)
cōnsuētūdō -inis *f* = mōs coeundī
inopiā = propter inopiam (egestātem)
ferrō : gladiō
solēre solitum esse *dēp perf* (solitus erat : solēbat)
nōm -ius, *gen* -ī = -iī: Curī
occultum habēre = occultāre
sublātō : nōn nōminātō

modō audierat complūribus nārrāvit. Ea rēs in prīmīs studia hominum accendit ad cōnsulātum mandandum M. Tulliō Cicerōnī – namque anteā plēraque nōbilitās invidiā aestuābat et quasi polluī cōnsulātum crēdēbant sī eum quamvīs ēgregius 'homō novus' adeptus foret. Sed ubi perīculum advēnit, invidia atque superbia post fuēre.

24 Igitur comitiīs habitīs cōnsulēs dēclārantur M. Tullius et C. Antōnius. Quod factum prīmō populārēs coniūrātiōnis concusserat; neque tamen Catilīnae furor minuēbātur, sed in diēs plūra agitāre, arma per Italiam locīs opportūnīs parāre, pecūniam suā aut amīcōrum fidē sūmptam mūtuam Faesulās ad Mānlium quendam portāre, quī posteā prīnceps fuit bellī faciundī.

Eā tempestāte plūrimōs cuiusque generis hominēs adscīvisse sibi dīcitur, mulierēs etiam aliquot, quae prīmō ingentēs sūmptūs stuprō corporis tolerāverant, post, ubi aetās tantummodo quaestuī neque luxuriae modum fēcerat, aes aliēnum grande cōnflāverant. Per eās sē Catilīna crēdēbat posse servitia urbāna sollicitāre, urbem incendere, virōs eārum vel adiungere sibi vel interficere.

25 – Sed in eīs erat Semprōnia, quae multa saepe virīlis audāciae facinora commīserat. Haec mulier genere atque fōrmā, praetereā virō atque līberīs satis fortūnāta fuit; litterīs Graecīs et Latīnīs docta, psallere et saltāre ēlegantius quam necesse est probae, multa alia, quae īnstrūmenta luxuriae sunt. Sed eī cāriōra semper omnia quam decus atque pudīcitia fuit. Pecūniae an fāmae minus parceret, haud facile discernerēs;

audierat = audīverat

plēraque nōbilitās = plērīque nōbilēs

aestuāre = fervēre

post fuēre = cessērunt

M. Tullius *Cicerō*

con-cutere -iō -cussisse -cussum = quassāre, perturbāre

: agitā*bat*

: parā*bat*

Faesulae -ārum *f pl*, oppidum Etrūriae

: portā*bat* (portandam cūrāvit)

ad-scīscere -īvisse -ītum = a-scīscere (sociōs)

sūmptūs tolerāre = pecūniam cōnsūmere

modum facere = fīnem facere

servitia -ōrum *n pl* = servī

(scelus/facinus) committere = facere

psallere = fidibus canere

: psall*ēbat*, saltā*bat*

fuit : fu*ērunt*

utrum pecūniae an fāmae *suae*...

libīdine sīc accēnsa, ut saepius peteret virōs quam
peterētur. Sed ea saepe antehāc fidem prōdiderat, crē-
ditum abiūrāverat, caedis cōnscia fuerat, luxuriā atque
inopiā praeceps abierat. Vērum ingenium eius haud
absurdum: posse versūs facere, iocum movēre, sermōne
ūtī vel modestō, vel mollī, vel procācī – prōrsus multae
facētiae multusque lepōs inerat. –

accēnsa *fuit*
(fidem) prōdere : fallere
crēditum -ī *n* = pecūnia crēdita (mūtua data)
ab-iūrāre = iūre iūrandō negāre (sē accēpisse)
praeceps abīre = sē praecipitāre (in perniciem)
posse : poterat
procāx -ācis = impudēns
facētiae -ārum *f pl* = sermō ēlegāns, sāl
lepōs -ōris *m* = grātia, facilitās; ... lepōs *eī* inerat

Hīs rēbus comparātīs, Catilīna nihilō minus in proxi- 26
mum annum cōnsulātum petēbat, spērāns, sī dēsignātus
foret, facile sē ex voluntāte Antōniō ūsūrum. Neque
intereā quiētus erat, sed omnibus modīs īnsidiās parābat
Cicerōnī. Neque illī tamen ad cavendum dolus aut astū-
tiae deerant. Namque ā prīncipiō cōnsulātūs suī multa
pollicendō per Fulviam effēcerat ut Q. Curius (dē quō
paulō ante memorāvī) cōnsilia Catilīnae sibi prōderet.
Ad hoc collēgam suum Antōnium pactiōne prōvinciae
perpulerat nē contrā rem pūblicam sentīret; circum sē
praesidia amīcōrum atque clientium occultē habēbat.

ex voluntāte (suā) = sīcut volēbat
astūtia -ae *f* = prūdentia callida, cōnsilium callidum
pactiō -ōnis *f* < pacīscī (Cicerō Antōniō prōvinciam Macedoniam prōmīserat)
per-pellere -pulisse -pulsum = impellere
cliēns -entis *m* = vir pauper cīvī nōbilī (*patrōnō* suō) obnoxius

Postquam diēs comitiōrum vēnit, et Catilīnae neque
petītiō neque īnsidiae quās cōnsulibus in Campō fēcerat
prosperē cessēre, cōnstituit bellum facere et extrēma
omnia experīrī, quoniam quae occultē temptāverat
aspera foedaque ēvēnerant.

in Campō *Mārtiō*
cessēre = ēvēnērunt

Igitur C. Mānlium Faesulās atque in eam partem Etrū- 27
riae, Septimium quendam Camertem in agrum Pīcēnum,
C. Iūlium in Āpuliam dīmīsit; praetereā alium aliō,
quem ubīque opportūnum sibi fore crēdēbat. Intereā
Rōmae multa simul mōlīrī, cōnsulibus īnsidiās tendere,

Camers -ertis *m* < Camerīnum, cīvitās Umbriae
ager Pīcēnus: Pīcēnum
alium aliō *alium aliō* (= in alium locum)
: mōli*ēbātur*, tend*ēbat*

parāre incendia, opportūna loca armātīs hominibus obsidēre, ipse cum tēlō esse, item aliōs iubēre, hortārī utī semper intentī parātīque essent, diēs noctēsque festīnāre, vigilāre, neque īnsomniīs neque labōre fatīgārī.

: parā*bat*, obsidē*bat*, *erat*, iubē*bat*, hortā*bātur*
item : cum tēlō esse
: festīnā*bat*, vigilā*bat*, fatīgā*bātur*
īn-somnia -ae *f* = vigiliae

Postrēmō, ubi multa agitantī nihil prōcēdit, rūrsus intempestā nocte coniūrātiōnis prīncipēs convocat per M. Porcium Laecam, ibique multa dē ignāviā eōrum questus docet 'sē Mānlium praemīsisse ad eam multitūdinem quam ad capiunda arma parāverat, item aliōs in alia loca opportūna, quī initium bellī facerent, sēque ad exercitum proficīscī cupere, sī prius Cicerōnem oppressisset: eum suīs cōnsiliīs multum officere.'

ubi *eī* multa agitantī nihil *bene* prōcēdit
intempestus -a -um: intempesta nox = media nox
ibi : in M. Laecae domō
querī questum esse; questus : postquam questus est, querēns
"*ego* ad exercitum proficīscī cupi*ō*, sī prius (: cum prīmum) Cicerōnem oppres*serō*: *is meīs* cōnsiliīs multum offic*it*"
of-ficere (+*dat*) = obstāre

28 Igitur, perterritīs ac dubitantibus cēterīs, C. Cornēlius, eques Rōmānus, operam suam pollicitus, et cum eō L. Varguntēius senātor cōnstituēre eā nocte paulō post cum armātīs hominibus sīcutī 'salūtātum' introīre ad Cicerōnem ac dē imprōvīsō domī suae imparātum cōnfodere! Curius, ubi intellegit quantum perīculum cōnsulī impendeat, properē per Fulviam Cicerōnī dolum quī parābātur ēnūntiat. Ita illī iānuā prohibitī tantum facinus frūstrā suscēperant.

sīcutī : quasi
cōn-fodere -iō -fōdisse -fossum = trānsfīgere (gladiō)
ē-nūntiāre = nōtum facere

Intereā Mānlius in Etrūriā plēbem sollicitāre egestāte simul ac dolōre iniūriae novārum rērum cupidam, quod Sullae dominātiōne agrōs bonaque omnia āmīserat, praetereā latrōnēs cuiusque generis, quōrum in eā regiōne magna cōpia erat, nōnnūllōs ex Sullānīs colōniīs, quibus libīdō atque luxuria ex magnīs rapīnīs nihil reliquī fēcerat.

: sollicitā*bat*
: ob egestātem/dolōrem
novae rēs = rēs pūblica renovāta, commūtātiō rērum pūblicārum
colōniae Sullānae: quās Sulla mīlitibus suīs cōnstituerat

29 Ea cum Cicerōnī nūntiārentur, ancipitī malō permōtus, quod neque urbem ab īnsidiīs prīvātō cōnsiliō longius tuērī poterat, neque exercitus Mānlī quantus aut quō cōnsiliō foret satis compertum habēbat, rem ad senātum refert iam anteā vulgī rūmōribus exagitātum. Itaque, quod plērumque in atrōcī negōtiō solet, senātus dēcrēvit *'darent operam cōnsulēs nē quid rēs pūblica dētrīmentī caperet.'* – Ea potestās per senātum mōre Rōmānō magistrātuī māxima permittitur: exercitum parāre, bellum gerere, coercēre omnibus modīs sociōs atque cīvēs, domī mīlitiaeque imperium atque iūdicium summum habēre. Aliter sine populī iussū nūllīus eārum rērum cōnsulī iūs est. –

Mānlī *gen* = Mānl*iī*
compertum habēre = certō scīre
exagitāre = sollicitāre, commovēre
fierī solet
dēcrēvit *ut*...

30 Post paucōs diēs L. Saenius senātor in senātū litterās recitāvit, quās 'Faesulīs adlātās sibi' dīcēbat, in quibus scrīptum erat 'C. Mānlium arma cēpisse cum magnā multitūdine ante diem VI kalendās Novembrēs.' Simul, id quod in tālī rē solet, aliī portenta atque prōdigia nūntiābant, aliī 'conventūs fierī, arma portārī, Capuae atque in Āpuliā servīle bellum movērī.'

ad-ferre ad-tulisse ad-lātum = af-ferre at-tulisse al-lātum
fierī solet

Igitur senātī dēcrētō Q. Mārcius Rēx Faesulās, Q. Metellus Crēticus in Āpuliam circumque ea loca missī (hī utrīque ad urbem imperātōrēs erant, impedītī nē triumphārent calumniā paucōrum quibus omnia honesta atque inhonesta vēndere mōs erat), sed praetōrēs Q. Pompēius Rūfus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Pīcēnum, eīsque permissum 'utī prō tempore atque perīculō exercitum compararent.' Ad hoc, 'sī quis indi-

senātī (*gen*) = senāt*ūs*
Q. Metellus Crēticus, v. LL cap. 53.264 | missī *sunt*
utrīque *pl* = ambō
imperātōrī nisi triumphantī Rōmam intrāre nōn licēbat
calumnia -ae *f* = falsum crīmen, obtrectātiō
permissum *est*
prō tempore : ut tempus postulāret

cāvisset dē coniūrātiōne quae contrā rem pūblicam facta erat, praemium servō lībertātem et sēstertia centum, līberō impūnitātem eius reī et sēstertia ducenta'; itemque dēcrēvēre 'utī gladiātōriae familiae Capuam et in cētera mūnicipia distribuerentur prō cuiusque opibus, Rōmae per tōtam urbem vigiliae habērentur eīsque minōrēs magistrātūs praeessent.'

31 Quibus rēbus permōta cīvitās atque immūtāta urbis faciēs est. Ex summā laetitiā atque lascīviā, quae diūturna quiēs pepererat, repente omnēs trīstitia invāsit: festīnāre, trepidāre, neque locō neque hominī cuiquam satis crēdere, neque bellum gerere neque pācem habēre, suō quisque metū perīcula mētīrī. Ad hoc mulierēs, quibus reī pūblicae magnitūdine bellī timor īnsolitus incesserat, adflīctāre sēsē, manūs supplicēs ad caelum tendere, miserārī parvōs līberōs, rogitāre, omnia pavēre, superbiā atque dēliciīs omissīs sibi patriaeque diffīdere!

At Catilīnae crūdēlis animus eadem illa movēbat, tametsī praesidia parābantur et ipse lēge Plautiā interrogātus erat ab L. Paulō.

Postrēmō, dissimulandī causā aut suī expūrgandī, sīcut iūrgiō lacessītus foret, in senātum vēnit! Tum M. Tullius cōnsul, sīve praesentiam eius timēns sīve īrā commōtus, ōrātiōnem habuit lūculentam atque ūtilem reī pūblicae, quam posteā scrīptam ēdidit.

[*Sequitur ōrātiō M. Tulliī Cicerōnis.*]

praemium *dēcrēvērunt*
sēstert*ia n pl* = *mīlia* sēstertium; C sēstert*ia* = C *mīlia* sēstertium
familia gladiātōria = grex gladiātōrum
prō opibus = secundum opēs, ut opēs erant
vigiliae = praesidia nocturna
minōrēs magistrātūs : aedīlēs, quaestōrēs, tribūnī plēbis

: festīnā*bant*, trepidā*bant*
(hominī) cuiquam : ūllī
: crēd*ēbant*, ger*ēbant*, habē*bant*, mēti*ēbantur*
mētīrī : aestimāre
: bellī timor ob reī pūblicae magnitūdinem īnsolitus
in-cēdere + *dat/acc*
ad-/af-flīctāre = afflīgere; sē a. = pectus pulsāre
: adflīct*ābant*, tend*ēbant*...
reī dif-fīdere = dē rē dēspērāre

lēx Plautia dē vī, lāta annō 70 a.C. in cīvēs sēditiōsōs
L. *Aemilius* Paulus (cōs. annō 50 a.C.)
ex-pūrgāre = pūrgāre, suspīciōne līberāre
sīcut : velut sī, quasi
iūrgium -ī *n* = certāmen dē iūre
praesentia -ae *f* < praesēns
lūculentus -a -um = praeclārus
(librum) ē-dere -didisse -ditum = multīs legendum dare

M. TVLLII CICERONIS IN L. CATILINAM ORATIO PRIMA

habita in senātū in templō Iovis Statōris

a. d. VI īd. Nov. annō DCXCI a. u. c.

Quō ūsque tandem abūtēre, Catilīna, patientiā nostrā? 1
Quam diū etiam furor iste tuus nōs ēlūdet? Quem ad
fīnem sēsē effrēnāta iactābit audācia?

Nihilne tē nocturnum praesidium Palātī, nihil urbis
vigiliae, nihil timor populī, nihil concursus bonōrum
omnium, nihil hic mūnītissimus habendī senātūs locus,
nihil hōrum ōra vultūsque mōvērunt? Patēre tua cōnsilia
nōn sentīs? cōnstrictam iam hōrum omnium scientiā te-
nērī coniūrātiōnem tuam nōn vidēs? Quid proximā, quid
superiōre nocte ēgeris, ubi fueris, quōs convocāveris,
quid consilī cēperis, quem nostrum ignōrāre arbitrāris?

Ō tempora! ō mōrēs! Senātus haec intellegit, cōnsul 2
videt – hic tamen vīvit! Vīvit? Immō vērō etiam in senā-
tum venit, fit pūblicī cōnsilī particeps, notat et dēsignat
oculīs ad caedem ūnumquemque nostrum! Nōs autem
– 'fortēs virī'! – satis facere reī pūblicae vidēmur sī
istīus furōrem ac tēla vītāmus!

Ad mortem tē, Catilīna, dūcī iussū cōnsulis iam prī-
dem oportēbat, in tē cōnferrī pestem quam tū in nōs
omnēs iam diū māchināris! An vērō vir amplissimus P. 3
Scīpiō, pontifex māximus, Ti. Gracchum, mediocriter
labefactantem statum reī pūblicae, prīvātus interfēcit
– Catilīnam, orbem terrae caede atque incendiīs vāstāre

ab-ūtī (+*abl*) = īnsolenter ūtī; -*ēre* = -*ēris* (*pers 2 fut*)
quem ad fīnem : quō ūsque, quam diū
effrēnātus -a -um (↔ domitus) = immoderātus, ferōx
nihil-ne tē......... mōvērunt?
Palātī *gen* = Palāt*iī*

locus: templum Iovis Statōris
hōrum : senātōrum

cōn-stringere -strīnxisse -strictum = colligāre, coercēre

quid cōnsil*ī* : quod/quāle cōnsilium

immō vērō etiam... : nōn modo vīvit, sed etiam...

pestis -is *f* = nex, perniciēs

P. *Cornēlius* Scīpiō *Nāsīca Serāpiō:* v. LL cap.51.239 [annō 133 a. C.]
mediocriter = modicē
prīvātus : nōn magistrātus, sine imperiō

cupientem, nōs cōnsulēs perferēmus? Nam illa nimis antīqua praetereō – quod C. Servīlius Ahala Sp. Maelium, novīs rēbus studentem, manū suā occīdit! – Fuit, fuit ista quondam in hāc rē pūblicā virtūs, ut virī fortēs ācriōribus suppliciīs cīvem perniciōsum quam acerbissimum hostem coercērent. Habēmus senātūs cōnsultum in tē, Catilīna, vehemēns et grave; nōn deest reī pūblicae cōnsilium neque auctōritās huius ōrdinis: nōs, nōs, dīcō apertē, cōnsulēs dēsumus!

Sp. Maelius rēgnum affectāns ā C. Servīliō Ahalā magistrō equitum occīsus est [annō 439 a. C.]
perniciōsus -a -um < perniciēs
senātūs cōnsultum: v. p. 18
hic ōrdō : senātus

4 Dēcrēvit quondam senātus *'utī L. Opīmius cōnsul vidēret, nē quid rēs pūblica dētrīmentī caperet'* – nox nūlla intercessit: interfectus est propter quāsdam sēditiōnum suspīciōnēs C. Gracchus, clārissimō patre, avō, māiōribus, occīsus est cum līberīs M. Fulvius cōnsulāris. Similī senātūs cōnsultō C. Mariō et L. Valeriō cōnsulibus est permissa rēs pūblica: num ūnum diem posteā L. Sāturnīnum tribūnum plēbis et C. Servīlium praetōrem mors ac reī pūblicae poena remorāta est? At vērō nōs vīcēsimum iam diem patimur hebēscere aciem hōrum auctōritātis! Habēmus enim huius modī senātūs cōnsultum, vērum inclūsum in tabulīs tamquam in vāgīnā reconditum, quō ex senātūs cōnsultō cōnfestim tē interfectum esse, Catilīna, convēnit! Vīvis – et vīvis nōn ad dēpōnendam, sed ad cōnfīrmandam audāciam!

[annō 121 a.C.]
C. Gracchus, M. Fulvius *Flaccus:* v. LL cap. 51. 275-279
[annō 100 a.C.]
Sāturnīnus tribūnus plēbis sēditiōsus et C. Servīlius *Glaucia* praetor ex senātūs cōnsultō occīsī sunt
aliquem re-morārī = alicui moram afferre
hebēscere = hebes fierī
aciēs -ēī *f* = quālitās acūtī gladiī, ingenium ācre
re-condere = repōnere, abdere
convēnit : oportuit

Cupiō, patrēs cōnscrīptī, mē esse clēmentem, cupiō in tantīs reī pūblicae perīculīs mē nōn dissolūtum vidērī; sed
5 iam mē ipse inertiae nēquitiaeque condemnō. Castra sunt in Italiā contrā populum Rōmānum in Etrūriae faucibus

dissolūtus -a -um = neglegēns, parum sevērus
nēquitia -ae *f* < nēquam

collocāta, crēscit in diēs singulōs hostium numerus; eōrum autem castrōrum imperātōrem ducemque hostium intrā moenia atque adeō in senātū vidēmus intestīnam aliquam cotīdiē perniciem reī pūblicae mōlientem! Sī tē iam, Catilīna, comprehendī, sī interficī iusserō, crēdō, erit verendum mihi nē nōn potius hoc omnēs bonī 'sērius' ā mē quam quisquam 'crūdēlius' factum esse dīcat.

atque adeō = atque etiam
mōlīrī = māchinārī
'sērius ā mē *factum esse*' *dīcant*

Vērum ego hoc quod iam prīdem factum esse oportuit certā dē causā nōndum addūcor ut faciam. Tum dēnique interficiēre, cum iam nēmō tam improbus, tam perditus, tam tuī similis invenīrī poterit quī id nōn 'iūre factum esse' fateātur. Quam diū quisquam erit quī tē dēfendere 6
audeat, vīvēs – et vīvēs ita ut vīvis: multīs meīs et fīrmīs praesidiīs oppressus, nē commovēre tē contrā rem pūblicam possīs; multōrum tē etiam oculī et aurēs nōn sentientem, sīcut adhūc fēcērunt, speculābuntur atque cūstōdient.

ego... nōndum addūcor ut faciam hoc quod...
-*ēre* = -*ēris* (*pass pers 2 fut*)
perditus -a -um = corruptus, nēquam
quam diū = tam diū quam
speculārī = clam spectāre

Etenim quid est, Catilīna, quod iam amplius exspectēs, sī neque nox tenebrīs obscūrāre coetūs nefāriōs neque prīvāta domus parietibus continēre vōcēs coniūrātiōnis tuae potest? sī illūstrantur, sī ērumpunt omnia? Mūtā iam istam mentem, mihi crēde! Oblīvīscere caedis atque incendiōrum! Tenēris undique, lūce sunt clāriōra nōbīs tua cōnsilia omnia – quae iam mēcum licet recognōscās:

obscūrāre : occultāre
coetus -ūs *m* = conventus
nefārius -a -um (< nefās) = scelestus, impius
licet recognōscās = licet tibi recognōscere (: reminīscī)

Meministīne mē ante diem XII kalendās Novembrēs 7
dīcere in senātū 'fore in armīs certō diē, quī diēs futūrus esset ante diem VI kalendās Novembrēs, C. Mānlium,

audāciae satellitem atque administrum tuae'? Num mē
fefellit, Catilīna, nōn modo rēs tanta, tam atrōx tamque
incrēdibilis, vērum – id quod multō magis est admīran-
dum – diēs? Dīxī ego īdem in senātū 'caedem tē opti-
mātium contulisse in ante diem V kalendās Novembrēs',
tum cum multī prīncipēs cīvitātis Rōmā – nōn tam suī
cōnservandī quam tuōrum cōnsiliōrum reprimendōrum
causā – profūgērunt. Num īnfitiārī potes tē illō ipsō diē
meīs praesidiīs, meā dīligentiā circumclūsum commo-
vēre tē contrā rem pūblicam nōn potuisse, cum tū, dis-
cessū cēterōrum, 'nostrā tamen quī remānsissēmus caede
8 contentum tē esse' dīcēbās? Quid? cum tē Praeneste
kalendīs ipsīs Novembribus occupātūrum nocturnō im-
petū esse cōnfīderēs, sēnsistīne illam colōniam meō
iussū, meīs praesidiīs, cūstōdiīs, vigiliīs esse mūnītam?
Nihil agis, nihil mōlīris, nihil cōgitās, quod nōn ego nōn
modo audiam, sed etiam videam plānēque sentiam.

Recognōsce mēcum tandem noctem illam superiō-
rem: iam intellegēs multō mē vigilāre ācrius ad salūtem
quam tē ad perniciem reī pūblicae. Dīcō 'tē priōre nocte
vēnisse inter falcāriōs' – nōn agam obscūrē – 'in M.
Laecae domum, convēnisse eōdem complūrēs eiusdem
āmentiae scelerisque sociōs.' Num negāre audēs? quid
tacēs? Convincam, sī negās; videō enim esse hīc in se-
9 nātū quōsdam quī tēcum ūnā fuērunt! – Ō dī immortālēs!
ubinam gentium sumus? quam rem pūblicam habēmus?
in quā urbe vīvimus? Hīc, hīc sunt in nostrō numerō,
patrēs cōnscrīptī, in hōc orbis terrae sānctissimō gravis-

fallere fefellisse falsum
rēs mē fallit = rē fallor

contulisse : cōnstituisse

circum-clūdere -sisse -sum = circumventum inclūdere

discessū cēterōrum : cum cēterī discessissent

multō ācrius

falcārius -ī *m* = faber quī falcēs efficit; inter falcāriōs : in vīcum falcāriōrum

āmentia -ae *f* < āmēns

convincam *tē*

ūnā tēcum

ubi(nam) gentium? = ubi terrārum (in terrīs)?

simōque cōnsiliō, quī dē nostrō omnium interitū, quī dē
huius urbis atque adeō dē orbis terrārum exitiō cōgitent!
Hōs ego videō cōnsul et dē rē pūblicā sententiam rogō,
et quōs ferrō trucīdārī oportēbat, eōs nōndum vōce vul-
nerō! – Fuistī igitur apud Laecam illā nocte, Catilīna;
distribuistī partēs Italiae, statuistī quō quemque profi-
cīscī placēret, dēlēgistī quōs Rōmae relinquerēs, quōs
tēcum ēdūcerēs, discrīpsistī urbis partēs ad incendia,
cōnfirmāstī 'tē ipsum iam esse exitūrum', dīxistī 'pau-
lum tibi esse etiam nunc morae, quod ego vīverem!'
Repertī sunt duo equitēs Rōmānī, quī tē istā 'cūrā' lībe-
rārent et 'sē illā ipsā nocte paulō ante lūcem mē in meō
lectō interfectūrōs esse' pollicērentur. Haec ego omnia, 10
vixdum etiam coetū vestrō dīmissō, comperī; domum
meam māiōribus praesidiīs mūnīvī atque fīrmāvī, ex-
clūsī eōs quōs tū ad mē 'salūtātum' māne mīserās, cum
illī ipsī vēnissent quōs ego iam multīs ac summīs virīs
'ad mē id temporis ventūrōs esse' praedīxeram.

Quae cum ita sint, Catilīna, perge quō coepistī,
ēgredere aliquandō ex urbe! Patent portae: proficīscere!
Nimium diū tē imperātōrem tua illa Mānliāna castra dē-
sīderant. Ēdūc tēcum etiam omnēs tuōs – sī minus,
quam plūrimōs! Pūrgā urbem! Magnō mē metū līberā-
veris, modo inter mē atque tē mūrus intersit. Nōbīscum
versārī iam diūtius nōn potes; nōn feram, nōn patiar,
nōn sinam! Magna dīs immortālibus habenda est atque 11
huic ipsī Iovī Statōrī, antīquissimō cūstōdī huius urbis,
grātia, quod hanc tam taetram, tam horribilem tamque

sānctissimum gravissimumque cōnsilium : senātus
exitium -ī *n* = interitus
eōs quōs...
duo equitēs: Sallustius equitem et senātōrem memorat (p. 17)
comperī: per Fulviam
id temporis = eō tempore
aliquandō = tandem aliquandō
Mānliānus -a -um <Mānlius
sī minus : sī nōn omnēs
modo +*coni* = dummodo
magna grātia dīs... habenda est
taeter -tra -trum = turpis

īnfēstam reī pūblicae pestem totiēs iam effūgimus. Nōn est saepius in ūnō homine summa salūs perīclitanda reī pūblicae. Quam diū mihi cōnsulī dēsignātō, Catilīna, īnsidiātus es, nōn pūblicō mē praesidiō, sed prīvātā dīligentiā dēfendī. Cum proximīs comitiīs cōnsulāribus mē cōnsulem in Campō et competītōrēs tuōs interficere voluistī, compressī cōnātūs tuōs nefāriōs amīcōrum praesidiō et cōpiīs, nūllō tumultū pūblicē concitātō; dēnique, quotiēscumque mē petīstī, per mē tibi obstitī, quamquam vidēbam perniciem meam cum magnā cala-
12 mitāte reī pūblicae esse coniūnctam. Nunc iam apertē rem pūblicam ūniversam petis, templa deōrum immortālium, tēcta urbis, vītam omnium cīvium, Italiam tōtam ad exitium et vāstitātem vocās! Quārē, quoniam id quod est prīmum, et quod huius imperī disciplīnaeque māiōrum proprium est, facere nōndum audeō, faciam id quod est ad sevēritātem lēnius, ad commūnem salūtem ūtilius. Nam sī tē interficī iusserō, residēbit in rē pūblicā reliqua coniūrātōrum manus; sīn tū – quod tē iam dūdum hortor – exieris, exhauriētur ex urbe tuōrum
13 comitum magna et perniciōsa sentīna reī pūblicae. Quid est, Catilīna? num dubitās id mē imperante facere quod iam tuā sponte faciēbās? 'Exīre ex urbe!' iubet cōnsul hostem. Interrogās mē 'num in exsilium?' Nōn iubeō, sed, sī mē cōnsulis, suādeō.

Quid est enim, Catilīna, quod tē iam in hāc urbe dēlectāre possit? in quā nēmō est extrā istam coniūrātiōnem perditōrum hominum quī tē nōn metuat,

perīclitārī = perīculō obicere

proximīs comitiīs: v. p. 16

com-petītor -ōris *m* = quī eandem rem petit

cōnātus -ūs *m* < cōnārī

per mē : meā operā

ob-sistere -stitisse = resistere

vāstitās -ātis *f* < vāstus

proprium est (+*gen*) = pertinet ad, convenit (+*dat*)

sevēritās -ātis *f* < sevērus

re-sidēre (< -sedēre) = remanēre

sentīna -ae *f* = aqua sordida quae in īmā nāve cōnfluit; hominēs nēquissimī

faciēbās : facere volēbās

suādeō *ut in exsilium eās*

nēmō quī nōn ōderit! Quae nota domesticae turpitūdinis
nōn inusta vītae tuae est? Quod prīvātārum rērum
dēdecus nōn haeret in fāmā? Quae libīdō ab oculīs, quod
facinus ā manibus umquam tuīs, quod flāgitium ā tōtō
corpore āfuit? Cui tū adulēscentulō, quem corruptē-
lārum illecebrīs irrētīssēs, nōn aut ad audāciam ferrum
aut ad libīdinem facem praetulistī? Quid vērō? nūper, 14
cum morte superiōris uxōris novīs nuptiīs domum
vacuēfēcissēs, nōnne etiam aliō incrēdibilī scelere hoc
scelus cumulāvistī? quod ego praetermittō et facile
patior silērī, nē in hāc cīvitāte tantī facinoris immānitās
aut exstitisse aut nōn vindicāta esse videātur.

Praetermittō ruīnās fortūnārum tuārum, quās omnēs
proximīs īdibus tibi impendēre sentiēs. Ad illa veniō,
quae nōn ad prīvātam ignōminiam vitiōrum tuōrum, nōn
ad domesticam tuam difficultātem ac turpitūdinem, sed
ad summam rem pūblicam atque ad omnium nostrum
vītam salūtemque pertinent: Potestne tibi haec lūx, 15
Catilīna, aut huius caelī spīritus esse iūcundus, cum
sciās esse hōrum nēminem quī nesciat tē prīdiē kalendās
Iānuāriās, Lepidō et Tullō cōnsulibus, stetisse in Comitiō
cum tēlō, manum cōnsulum et prīncipum cīvitātis inter-
ficiendōrum causā parāvisse, scelerī ac furōrī tuō nōn
mentem aliquam aut timōrem tuum, sed fortūnam populī
Rōmānī obstitisse? Ac iam illa omittō – neque enim
sunt aut obscūra aut nōn multa commissa posteā – :
quotiēs tū mē dēsignātum, quotiēs vērō cōnsulem inter-
ficere cōnātus es! quot ego tuās petītiōnēs ita coniectās

nota : lābēs (*nota* servīs improbīs *in-ūrēbātur*)
turpitūdō -inis *f* < turpis
in-ūrere -ussisse -ustum (+ *dat*)

corruptēla -ae *f* = rēs quā mōrēs corrumpuntur
ir-rētīre = rētī capere
ferrum : gladium
alicui prae-ferre = ante aliquem ferre

vacuē-facere = vacuum facere
aliō scelere: nece fīliī
cumulāre = augendō perficere
rem silēre = dē rē silēre
tantī facinoris immānitās = tantum facinus immāne
ex-sistere -stitisse = orīrī, (prīmum) fierī

proximīs īdibus: īd. Nov. (nam pecūnia mūtua īdibus repetēbātur)

summa rēs pūblica = cūncta reī pūblicae fortūna

caelī : āeris
spīritus -ūs *m* < spīrāre
hōrum : senātōrum

[annō 66 a.C.]

cōnsulum : L. Cottae et L. Torquātī (v. p. 10-11)

mentem aliquam : mentem dubiam

: nam et nōta sunt et multa posteā ā tē commissa

mē *cōnsulem* dēsignātum

petītiō -ōnis *f* = impetus (gladiātōris)

ut vītārī posse nōn vidērentur, parvā quādam dēclīnā-
tiōne et, ut āiunt, 'corpore' effūgī! Nihil agis, nihil
16 assequeris, neque tamen cōnārī ac velle dēsistis. Quotiēs
iam tibi extorta est ista sīca dē manibus, quotiēs excidit
cāsū aliquō et ēlāpsa est! Quae quidem quibus abs tē
initiāta sacrīs ac dēvōta sit, nesciō, quod eam necesse
putās esse in cōnsulis corpore dēfīgere!

Nunc vērō quae tua est ista vīta? Sīc enim iam tēcum
loquar, nōn ut odiō permōtus esse videar, quō dēbeō,
sed ut misericordiā, quae tibi nūlla dēbētur. Vēnistī
paulō ante in senātum. Quis tē ex hāc tantā frequentiā,
tot ex tuīs amīcīs ac necessāriīs salūtāvit? Sī hoc post
hominum memoriam contigit nēminī, vōcis exspectās
contumēliam, cum sīs gravissimō iūdiciō taciturnitātis
oppressus? Quid? quod adventū tuō ista subsellia vacuē-
facta sunt, quod omnēs cōnsulārēs, quī tibi persaepe ad
caedem cōnstitūtī fuērunt, simul atque assēdistī, partem
istam subselliōrum nūdam atque inānem relīquērunt,
17 quō tandem animō tibi ferendum putās? Servī me-
hercule meī sī mē istō pactō metuerent ut tē metuunt
omnēs cīvēs tuī, domum meam relinquendam putārem
– tū tibi urbem nōn arbitrāris? Et sī mē meīs cīvibus
iniūriā suspectum tam graviter atque offēnsum vidērem,
carēre mē aspectū cīvium quam īnfēstīs omnium oculīs
cōnspicī māllem – tū, cum cōnscientiā scelerum tuōrum
agnōscās odium omnium iūstum et iam diū tibi dēbitum,
dubitās, quōrum mentēs sēnsūsque vulnerās, eōrum
aspectum praesentiamque vītāre? Sī tē parentēs timērent

dēclīnātiō < dē-clīnāre = inclīnandō āvertere
corpore : mōtū corporis
sīca -ae *f*
ex-torquēre -rsisse -rtum = vī ēripere
initiāre = clam sacrāre
dē-vovēre = vovēre (dīs īnferīs)
ut misericordiā *permōtus esse videar*
frequentia -ae *f* = multitūdō
vōcis : loquentium
taciturnitās -ātis *f* = silentium; taciturnitātis : tacitōrum
tibi : ā tē
sī servī meī...
istō pactō = istō modō
mihi relinquendam *esse*
tibi urbem *relinquendam esse* nōn arbitrāris?
offēnsus -a -um = invīsus
aspectus -ūs *m* <aspicere
dubitās*ne* vītāre aspectum praesentiamque eōrum quōrum...?

atque ōdissent tuī neque eōs ratiōne ūllā plācāre possēs,
ut opīnor, ab eōrum oculīs aliquō concēderēs – nunc tē
patria, quae commūnis est parēns omnium nostrum, ōdit
ac metuit et iam diū nihil tē iūdicat nisi dē parricīdiō
suō cōgitāre: huius tū neque auctōritātem verēbere nec
iūdicium sequēre nec vim pertimēscēs? Quae tēcum, 18
Catilīna, sīc agit et quōdam modō tacita loquitur:
“Nūllum iam aliquot annīs facinus exstitit nisi per tē,
nūllum flāgitium sine tē; tibi ūnī multōrum cīvium
necēs, tibi vexātiō dīreptiōque sociōrum impūnīta fuit ac
lībera; tū nōn sōlum ad neglegendās lēgēs et quaestiō-
nēs, vērum etiam ad ēvertendās perfringendāsque valu-
istī. Superiōra illa, quamquam ferenda nōn fuērunt,
tamen, ut potuī, tulī; nunc vērō mē tōtam esse in metū
propter ūnum tē, quicquid increpuerit Catilīnam timērī,
nūllum vidērī contrā mē cōnsilium inīrī posse quod ā
tuō scelere abhorreat, nōn est ferendum. Quam ob rem
discēde atque hunc mihi timōrem ēripe! Sī est vērus, nē
opprimar, sīn falsus, ut tandem aliquandō timēre dēsi-
nam.” Haec sī tēcum, ut dīxī, patria loquātur, nōnne im- 19
petrāre dēbeat, etiam sī vim adhibēre nōn possit?

Quid? quod tū tē in cūstōdiam dedistī, quod vītandae suspīciōnis causā ‘ad M’. Lepidum tē habitāre velle’ dīxistī? Ā quō nōn receptus etiam ad mē venīre ausus es, atque ‘ut domī meae tē adservārem’ rogāstī. Cum ā mē quoque id respōnsum tulissēs ‘mē nūllō modō posse iīsdem parietibus tūtō esse tēcum, quia magnō in perīculō essem quod iīsdem moenibus continērēmur!’

plācāre = conciliāre, mītigāre
ali-quō *adv* = in aliquem (quemcumque) locum

iūdicat (: cēnset) nihil (: dē nūllā rē) tē cōgitāre nisi dē parricīdiō suō
pers 2 fut pass (dēp): -bere = -be*ris*, -ēre = -ē*ris*
iūdicium sequī : i.ō pārēre

Catilīna, cum Āfricam prōvinciam dīripuisset, repetundārum reus absolūtus est quia iūdicēs corrūperat

vexātiō, dīreptiō -ōnis *f* < vexāre, dīripere
im-pūnītus -a -um
quaestiō = iūdicium

ad *lēgēs* ēvertendās...
per-fringere < -frangere

quod ā tuō scelere abhorreat : quod cum tuō scelere nōn coniūnctum sit

impetrāre *ut discēdās*

rem ad-hibēre = rē ūtī

Catilīna, lēge Plautiā reus, in cūstōdiam sē obtulerat ad virōs nōbilēs
M’. *Aemilius* Lepidus, cōs. annō 66 a.C.

ad-servāre = cūstōdīre

ad Q. Metellum praetōrem vēnistī. Ā quō repudiātus ad sodālem tuum, 'virum optimum', M. Metellum dēmigrāstī, quem tū vidēlicet et ad cūstōdiendum tē dīligentissimum et ad suspicandum sagācissimum et ad vindicandum fortissimum fore putāstī! Sed quam longē vidētur ā carcere atque ā vinculīs abesse dēbēre quī sē ipse iam dignum cūstōdiā iūdicārit?

re-pudiāre = repellere
sodālis -is *m* = amīcus, socius
M. Metellus, vir ignōbilis
dē-migrāre = migrāre habitātum
suspicārī = suspectum habēre
sagāx -ācis *adi* = callidus, ācer (animō)
-ārit = -āverit

20 Quae cum ita sint, Catilīna, dubitās, sī ēmorī aequō animō nōn potes, abīre in aliquās terrās et vītam istam, multīs suppliciīs iūstīs dēbitīsque ēreptam, fugae sōlitūdinīque mandāre?

"Refer" inquis "ad senātum!" Id enim postulās, et 'sī hic ōrdō sibi placēre dēcrēverit tē īre in exsilium, obtemperātūrum tē esse' dīcis. Nōn referam – id quod abhorret ā meīs mōribus –, et tamen faciam ut intellegās quid hī dē tē sentiant: *Ēgredere ex urbe, Catilīna!* Līberā rem pūblicam metū! *In exsilium*, sī hanc vōcem exspectās, *proficīscere!*

hic ōrdō : ōrdō senātōrius, senātus
hī : senātōrēs
hanc vōcem = hoc verbum

Quid est? Ecquid attendis, ecquid animadvertis hōrum silentium? Patiuntur, tacent. Quid exspectās auctōritātem loquentium, quōrum voluntātem tacitōrum per-
21 spicis? At sī hoc idem huic adulēscentī optimō P. Sestiō, sī fortissimō virō M. Mārcellō dīxissem, iam mihi cōnsulī hōc ipsō in templō senātus iūre optimō vim et manūs intulisset. Dē tē autem, Catilīna, cum quiēscunt, probant, cum patiuntur, dēcernunt, cum tacent, clāmant! neque hī sōlum, quōrum tibi auctōritās est vidēlicet cāra, vīta vīlissima, sed etiam illī equitēs Rōmānī,

at-tendere = attentē audīre /notāre
hoc idem : haec eadem verba ("in exsilium proficīscere!")
P. Sestius, M. Mārcellus: senātōrēs, Cicerōnis amīcī
alicui (vim et) manūs īnferre = aliquem (vī) comprehendere

honestissimī atque optimī virī, cēterīque fortissimī cīvēs quī circumstant senātum, quōrum tū et frequentiam vidēre et studia perspicere et vōcēs paulō ante exaudīre potuistī. Quōrum ego vix abs tē iam diū manūs ac tēla contineō, eōsdem facile addūcam ut tē haec quae vāstāre iam prīdem studēs relinquentem ūsque ad portās prōsequantur.

circum-stāre
contineō : retineō
tē haec (: haec loca, hanc urbem) ... relinquentem

22 Quamquam quid loquor? tē ut ūlla rēs frangat, tū ut umquam tē corrigās, tū ut ūllam fugam meditēre, tū ut ūllum exsilium cōgitēs? Utinam tibi istam mentem dī immortālēs duint! – tametsī videō, sī meā vōce perterritus īre in exsilium animum indūxeris, quanta tempestās invidiae nōbīs, sī minus in praesēns tempus recentī memoriā scelerum tuōrum, at in posteritātem impendeat. Sed est tantī, dummodo tua ista sit prīvāta calamitās et ā reī pūblicae perīculīs sēiungātur. Sed tū ut vitiīs tuīs commoveāre, ut lēgum poenās pertimēscās, ut temporibus reī pūblicae cēdās, nōn est postulandum. Neque enim is es, Catilīna, ut tē aut pudor ā turpitūdine aut metus ā perīculō aut ratiō ā furōre revocārit.

quamquam = sed, vērum
quid : quārē
meditē*re* = meditē*ris*
duint (*coni* < dare) = dent
(in) animum in-dūcere + *īnf* = cōnsilium capere
sī minus (= sī nōn) in praesēns tempus..., at *certē* in posteritātem (= futūrum)
recentī memoriā : dum recēns est memoria
est tantī (pretiī) : nihil pensī habeō, nōn cūrō
commoveā*re* = -ā*ris*
tempora : condiciō, fortūna
cēdere + *dat* = concēdere
ratiō = mēns sāna

23 Quam ob rem, ut saepe iam dīxī, proficīscere ac, sī mihi 'inimīcō' ut praedicās 'tuō' cōnflāre vīs invidiam, rēctā perge in exsilium! Vix feram sermōnēs hominum, sī id fēceris, vix mōlem istīus invidiae, sī in exsilium iussū cōnsulis ieris, sustinēbō. Sīn autem servīre meae laudī et glōriae māvīs, ēgredere cum importūnā scelerātōrum manū, cōnfer tē ad Mānlium, concitā perditōs cīvēs, sēcerne tē ā bonīs, īnfer patriae bellum, exsultā

(invidiam) cōn-flāre = accendere, excitāre
rēctā *viā*
importūnus -a -um = inīquus, molestus
exsultāre (+ *abl*) = valdē dēlectārī, ovāre

impiō latrōciniō, ut ā mē nōn ēiectus ad aliēnōs, sed invītātus ad tuōs īsse videāris!

24 Quamquam quid ego tē invītem, ā quō iam sciam esse praemissōs quī tibi ad Forum Aurēlium praestōlārentur armātī? cui sciam pactam et cōnstitūtam cum Mānliō diem? ā quō etiam aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuīs omnibus cōnfīdō perniciōsam ac fūnestam futūram, cui domī tuae sacrārium scelerātum cōnstitūtum fuit, sciam esse praemissam? Tū ut illā carēre diūtius possīs, quam venerārī ad caedem proficīscēns solēbās, ā cuius altāribus saepe istam impiam dexteram ad necem cīvium trānstulistī?

25 Ībis tandem aliquandō quō tē iam prīdem tua ista
cupiditās effrēnāta ac furiōsa rapiēbat. Neque enim tibi
haec rēs adfert dolōrem, sed quandam incrēdibilem vo-
luptātem. Ad hanc tē āmentiam nātūra peperit, voluntās
exercuit, fortūna servāvit. Numquam tū nōn modo ōtium
sed nē bellum quidem nisi nefārium concupīstī. Nactus
es ex perditīs atque ab omnī nōn modo fortūnā vērum
26 etiam spē dērelictīs cōnflātam improbōrum manum. Hīc
tū quā laetitiā perfruēre, quibus gaudiīs exsultābis,
quantā in voluptāte bacchābere, cum in tantō numerō
tuōrum neque audiēs virum bonum quemquam neque
vidēbis! Ad huius vītae studium meditātī illī sunt quī
feruntur 'labōrēs' tuī: iacēre humī nōn sōlum ad ob-
sidendum stuprum, vērum etiam ad facinus obeundum,
vigilāre nōn sōlum īnsidiantem somnō marītōrum, vērum
etiam bonīs ōtiōsōrum. Habēs ubi ostentēs illam tuam

īsse = iisse

Forum Aurēlium: cīvitās Etrūriae in viā Aurēliā
praestōlārī +*dat* = opperīrī
pacīscere = ex compositō statuere, convenīre dē; cui (: ā quō) sciam diem pactam et cōnstitūtam *esse*
Catilīna aquilam argenteam quam Marius bellō Cimbricō sēcum tulisse dīcitur in sacrāriō domesticō *venerārī* (= adōrāre) solēbat
ut... possīs = quōmodo... possīs
venerārī = (deum) colere, adōrāre

furiōsus -a -um = āmēns
ad-ferre = af-ferre
āmentia -ae *f* < āmēns

con-cupīscere -īvisse/-iisse; -īstī = -*ii*stī

dē-relinquere = dēserere; ab spē dērelictus : dēspērāns
cōn-flāre = congregāre
per-fruī = plēnē fruī
-ēre/-bere *fut* = -ēris/-beris
bacchārī = furere ut *Bacchae* (mulierēs furiōsae quae Bacchum comitantur)
ad huius vītae studium : ad hanc vītam cui studēs
meditātī *pass* = excōgitātī
feruntur = praedicantur

ad obsidendum stuprum : ad obsidendam mulierem stuprandam

ōtiōsus = pācis amāns
habēs *locum* ubi...

praeclāram patientiam famis, frīgoris, inopiae rērum omnium, quibus tē brevī tempore cōnfectum esse sentiēs.

re-pellere reppulisse re-pulsum
temptāre = oppugnāre

Tantum prōfēcī, cum tē ā cōnsulātū reppulī, ut exsul 27
potius temptāre quam cōnsul vexāre rem pūblicam possēs, atque ut id quod esset abs tē scelerātē susceptum 'latrōcinium' potius quam 'bellum' nōminārētur.

dē-testārī = (dīs testibus) ā sē āvertere, arcēre
dē-precārī = precibus āvertere, prohibēre
per-cipere = attendere, animadvertere

évocātor servōrum = quī servōs ad bellum ēvocat
patiēre = -ēris (*pers 2 fut*)

summum supplicium = supplicium capitis
mactāre = occīdere (hostiam)
(hunc... dūcī/rapī/mactārī) imperābis = iubēbis

Nunc, ut ā mē, patrēs cōnscrīptī, quandam prope iūstam patriae querimōniam dētester ac dēprecer, percipite, quaesō, dīligenter quae dīcam, et ea penitus animīs vestrīs mentibusque mandāte! Etenim sī mēcum patria, quae mihi vītā meā multō est cārior, sī cūncta Italia, sī omnis rēs pūblica loquātur: "M. Tullī, quid agis? Tūne eum quem esse hostem comperistī, quem ducem bellī futūrum vidēs, quem exspectārī imperātōrem in castrīs hostium sentīs, auctōrem sceleris, prīncipem coniūrātiōnis, ēvocātōrem servōrum et cīvium perditōrum, exīre patiēre, ut abs tē nōn ēmissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videātur? Nōnne hunc in vincula dūcī, nōn ad mortem rapī, nōn summō suppliciō mactārī imperābis? Quid tandem tē impedit? mōsne
māiōrum? At persaepe etiam prīvātī in hāc rē pūblicā 28
perniciōsōs cīvēs morte multārunt. An lēgēs quae dē cīvium Rōmānōrum suppliciō rogātae sunt? At numquam in hāc urbe quī ā rē pūblicā dēfēcērunt cīvium iūra tenuērunt. An invidiam posteritātis timēs? Praeclāram vērō populō Rōmānō refers grātiam, quī tē, hominem per tē cognitum, nūllā commendātiōne māiōrum, tam

multāre = pūnīre
(lēgem) rogāre = ferre
lēgēs *Porciae* vetant cīvem Rōmānum morte multārī
quī ā rē pūblicā dēfēcērunt : 'hostēs patriae'
posteritās -ātis *f* = posterī

hominem per tē (nōn per māiōrēs tuōs) cognitum : 'hominem novum'

mātūrē ad summum imperium per omnēs honōrum gradūs extulit, sī propter invidiam aut alicuius perīculī metum salūtem cīvium tuōrum neglegis! Sed sī quis est invidiae metus, nōn est vehementius sevēritātis ac fortitūdinis invidia quam inertiae ac nēquitiae pertimēscenda! An, cum bellō vāstābitur Italia, vexābuntur urbēs, tēcta ārdēbunt, tum tē nōn exīstimās invidiae incendiō cōnflagrātūrum?"

29

honōrum gradūs: v. LL cap. 53.408–411
extulit = sustulit

Hīs ego sānctissimīs reī pūblicae vōcibus et eōrum hominum quī hoc idem sentiunt mentibus pauca respondēbō: Ego sī hoc optimum factū iūdicārem, patrēs cōnscrīptī, Catilīnam morte multārī, ūnīus ūsūram hōrae gladiātōrī istī ad vīvendum nōn dedissem. Etenim sī summī virī et clārissimī cīvēs Sāturnīnī et Gracchōrum et Flaccī et superiōrum complūrium sanguine nōn modo sē nōn contāmināruntt, sed etiam honestārunt, certē verendum mihi nōn erat nē quid, hōc parricīdā cīvium interfectō, invidiae mihi in posteritātem redundāret. Quod sī ea mihi māximē impendēret, tamen hōc animō fuī semper, ut invidiam virtūte partam glōriam, nōn invidiam putārem.

vōcibus : verbīs
ūsūra -ae *f* = ūsus
gladiātor : latrō
M. Fulviī Flaccī
contāmināre = polluere, dēdecore afficere
honestāre = honōre afficere
nē quid invidiae
mihi (/in mē) redundāre = mē obruere, afflīgere

30 Quamquam nōnnūllī sunt in hōc ōrdine quī aut ea quae imminent nōn videant aut ea quae vident dissimulent; quī spem Catilīnae mollibus sententiīs aluērunt coniūrātiōnemque nāscentem nōn crēdendō corrōborāvērunt; quōrum auctōritāte multī, nōn sōlum improbī, vērum etiam imperītī, sī in hunc animadvertissem, 'crūdēliter et rēgiē factum esse' dīcerent. Nunc intellegō,

quamquam = et tamen
dis-simulent : simulent sē nōn vidēre
cor-rōborāre = firmāre
im-perītus ↔ perītus
amimadvertere in = pūnīre
rēgiē *adv* = mōre rēgis vel tyrannī

quō *īre* intendit

naufragus -ī *m* = quī naufragium fēcit
ag-gregāre = congregāre

stirps : orīgō

stirps -pis *f*



sī iste, quō intendit, in Mānliāna castra pervēnerit, nēminem tam stultum fore quī nōn videat coniūrātiōnem esse factam, nēminem tam improbum quī nōn fateātur. Hōc autem ūnō interfectō, intellegō hanc reī pūblicae pestem paulisper reprimī, nōn in perpetuum comprimī posse. Quod sī sēsē ēiēcerit sēcumque suōs ēdūxerit et eōdem cēterōs undique collēctōs naufragōs aggregārit, exstinguētur atque dēlēbitur nōn modo haec tam adulta reī pūblicae pestis, vērum etiam stirps ac sēmen malōrum omnium.

latrōcinium : grex latrōnum

re-levāre = levem facere, līberāre (onere, dolōre, metū), recreāre

aestus -ūs *m* = ārdor
febris -is (*acc* -im, *abl* -ī) = nimius calor corporis
gelidus -a -um = frīgidissimus
afflīctāre = afflīgere
: *sī* relevātus *erit*

in-gravēscere = gravior fierī

Etenim iam diū, patrēs cōnscrīptī, in hīs perīculīs 31
coniūrātiōnis īnsidiīsque versāmur, sed nesciō quō pactō omnium scelerum ac veteris furōris et audāciae mātūritās in nostrī cōnsulātūs tempus ērūpit. Quod sī ex tantō latrōciniō iste tollētur, vidēbimur fortasse ad breve quoddam tempus cūrā et metū esse relevātī, perīculum autem residēbit et erit inclūsum penitus in vēnīs atque in visceribus reī pūblicae. Ut saepe hominēs aegrī morbō gravī, cum aestū febrīque iactantur, sī aquam gelidam bibērunt, prīmō relevārī videntur, deinde multō gravius vehementiusque afflīctantur, sīc hic morbus quī est in rē pūblicā, relevātus istīus poenā, vehementius reliquīs vīvīs ingravēscet.

praetor urbānus iūs dīcit ex tribūnālī in Forō Rōmānō
malleolus -ī *m* = sagitta ārdēns

Quārē sēcēdant improbī, sēcernant sē ā bonīs, ūnum 32
in locum congregentur, mūrō dēnique, quod saepe iam dīxī, sēcernantur ā nōbīs, dēsinant īnsidiārī domī suae cōnsulī, circumstāre tribūnal praetōris urbānī, obsidēre cum gladiīs Cūriam, malleolōs et facēs ad īnflamman-

dam urbem comparāre! Sit dēnique īnscrīptum in fronte ūnīus cuiusque, quid dē rē pūblicā sentiat!

Polliceor hoc vōbīs, patrēs cōnscrīptī, tantam in nōbīs cōnsulibus fore dīligentiam, tantam in vōbīs auctōritātem, tantam in equitibus Rōmānīs virtūtem, tantam in omnibus bonīs cōnsēnsiōnem, ut Catilīnae profectiōne omnia patefacta, illūstrāta, oppressa, vindicāta esse videātis.

cōnsēnsiō -ōnis *f* (< cōnsentīre) = cōnsēnsus
profectiō -ōnis *f* < proficīscī

33 Hīsce ōminibus, Catilīna, cum summā reī pūblicae salūte, cum tuā peste ac perniciē cumque eōrum exitiō quī sē tēcum omnī scelere parricīdiōque iūnxērunt proficīscere ad impium bellum ac nefārium!

ōmina : verba quibus rēs futūrae portenduntur, vōta

Tū, Iuppiter, quī iīsdem quibus haec urbs auspiciīs ā Rōmulō es cōnstitūtus, quem 'Statōrem' huius urbis atque imperī vērē nōmināmus, hunc et huius sociōs ā tuīs cēterīsque templīs, ā tēctīs urbis ac moenibus, ā vītā fortūnīsque cīvium omnium arcēbis, et hominēs bonōrum inimīcōs, hostēs patriae, latrōnēs Italiae, scelerum foedere inter sē ac nefāriā societāte coniūnctōs, aeternīs suppliciīs vīvōs mortuōsque mactābis!

tū, Iuppiter : Cicerō signum Iovis Statōris appellat
ā Rōmulō: v. LL cap. 42.130
stator = quī statuit, quī sustinet, servātor

C. SALLVSTII CRISPI
DE CATILINAE CONIVRATIONE

[*Dē coniūrātiōne patefactā*]

Sed ubi ille adsēdit, Catilīna, ut erat parātus ad dis- 31
simulanda omnia, dēmissō vultū, vōce supplicī postulāre
ā patribus coepit 'nē quid dē sē temere crēderent: eā
familiā ortum, ita sē ab adulēscentiā vītam īnstituisse, ut
omnia bona in spē habēret; nē exīstimārent sibi patriciō
hominī, cuius ipsīus atque māiōrum plūrima beneficia in
plēbem Rōmānam essent, perditā rē pūblicā opus esse,
cum eam servāret M. Tullius, inquilīnus cīvis urbis
Rōmae!' Ad hoc maledicta alia cum adderet, obstrepere
omnēs, 'hostem!' atque 'parricīdam!' vocāre. Tum ille
furibundus: "Quoniam quidem circumventus" inquit "ab
inimīcīs praeceps agor, incendium meum ruīnā ex-
stinguam!"

ille : Cicerō
ad-sīdere = as-sīdere, cōn-sīdere
temere = sine causā
sē ortum *esse* (dīxit)
(*ōrātiō rēcta:*) "nōlīte exīstimāre mihi..."
inquilīnus -a -um = quī aliēnam patriam incolit
ob-strepere -uisse = strepitū interpellāre
: obstrep*uērunt*, vocā*vērunt*
furibundus -a -um = furiōsus
ruīnā : dīruendō domum incēnsam meam (: Rōmam)

Deinde sē ex cūriā domum prōripuit. Ibi multa ipse 32
sēcum volvēns, quod neque īnsidiae cōnsulī prōcēdē-
bant, et ab incendiō intellegēbat urbem vigiliīs mūnītam,
optimum factū crēdēns exercitum augēre, ac, prius quam
legiōnēs scrīberentur, multa antecapere quae bellō ūsuī
forent, nocte intempestā cum paucīs in Mānliāna castra
profectus est. Sed Cethēgō atque Lentulō cēterīsque
quōrum cognōverat prōmptam audāciam mandat 'quibus
rēbus possent opēs factiōnis cōnfirment, īnsidiās cōnsulī
mātūrent, caedem, incendia, aliaque bellī facinora

ex cūriā : ex senātū
prō-ripere -iō -uisse -reptum < -rapere; sē p. = ruere
(sēcum) volvere = reputāre
bene prōcēdēbant
ante-capere = praeparāre
mandat (: imperat) *ut* (*iīs*) rēbus quibus possent...
factiōnis : coniūrātiōnis

parent; sēsē propediem cum magnō exercitū ad urbem accessūrum'. ...

34 At Catilīna ex itinere plērīsque cōnsulāribus, praetereā optimō cuique litterās mittit *'sē falsīs crīminibus circumventum, quoniam factiōnī inimīcōrum resistere nequīverit, fortūnae cēdere: Massiliam in exsilium proficīscī, nōn quō sibi tantī sceleris cōnscius esset, sed utī rēs pūblica quiēta foret nēve ex suā contentiōne sēditiō*

36 *orerētur.'* ... Sed ipse paucōs diēs commorātus apud C. Flāminium in agrō Arrētīnō, dum vīcīnitātem anteā sollicitātam armīs exōrnat, cum fascibus atque aliīs imperī īnsignibus in castra ad Mānlium contendit.

Haec ubi Rōmae comperta sunt, senātus Catilīnam et Mānlium 'hostēs' iūdicat, cēterae multitūdinī diem statuit ante quam licēret sine fraude ab armīs discēdere praeter rērum capitālium condemnātīs. Praetereā dēcernit 'utī cōnsulēs dīlēctum habeant, Antōnius cum exercitū Catilīnam persequī mātūret, Cicerō urbī praesidiō sit.'

– Eā tempestāte mihi imperium populī Rōmānī multō māximē miserābile vīsum est. Cui cum ad occāsum ab ortū sōlis omnia domita armīs pārērent, domī ōtium atque dīvitiae, quae prīma mortālēs putant, adfluerent, fuēre tamen cīvēs quī sēque remque pūblicam obstinātīs animīs perditum īrent! Namque, duōbus senātī dēcrētīs, ex tantā multitūdine neque praemiō inductus coniūrātiōnem patefēcerat neque ex castrīs Catilīnae quisquam omnium discesserat: tanta vīs morbī ac velutī

37 tābēs plērōsque cīvium animōs invāserat. Neque sōlum

prope-diem = post paucōs diēs, brevī

Massilia -ae *f*, urbs Galliae maritima prope ōstium Rhodanī sita
sē proficīscī
nōn quō = nōn quod

contentiō -ōnis *f* = certāmen

ager Arrētīnus: circum Arrētium, oppidum Etrūriae
vīcīnitātem : vīcīnōs
rē (ex-)ōrnāre = rem ūtilem dare

'hostēs *patriae*'

sine fraude : impūne

capitālis -e < caput; rēs capitālis = scelus capite pūniendum

cum... pārērent = etsī... pārēbant
ad occāsum ab ortū sōlis = ab oriente ad occidentem
domita (armīs) : subācta
ad-/af-fluere = abundāre

-que... -que = et... et
perditum (*supīnum*) īre = perdere velle
duōbus senātī dēcrētīs : etsī duo senāt*ūs* dēcrēta facta erant
patefēcerat quisquam omnium (: quisquam omnīnō)
tanta vīs morbī = tantus et tam violentus morbus
tābēs -is *f* = morbus quō tābēscit corpus

illīs aliēna mēns erat quī cōnsciī coniūrātiōnis fuerant, sed omnīnō cūncta plēbēs novārum rērum studiō Catilīnae incepta probābat. Id adeō suō mōre vidēbātur facere: nam semper in cīvitāte quibus opēs nūllae sunt bonīs invident, malōs extollunt, vetera ōdēre, nova exoptant, odiō suārum rērum mūtārī omnia student. ... –

39 Īsdem temporibus Rōmae Lentulus, sīcutī Catilīna praecēperat, quōscumque mōribus aut fortūnā novīs rēbus idōneōs crēdēbat, aut per sē aut per aliōs sollicitābat; neque sōlum cīvēs, sed cuiusque modī genus hominum, quod modo bellō ūsuī foret.

40 Igitur P. Umbrēnō cuidam negōtium dat 'utī lēgātōs Allobrogum requīrat eōsque, sī possit, impellat ad societātem bellī', exīstimāns pūblicē prīvātimque aere aliēnō oppressōs, praetereā quod nātūrā gēns Gallica bellicōsa esset, facile eōs ad tāle cōnsilium addūcī posse. Umbrēnus, quod in Galliā negōtiātus erat, plērīsque prīncipibus cīvitātum nōtus erat atque eōs nōverat – itaque sine morā, ubi prīmum lēgātōs in Forō cōnspexit, percontātus pauca dē statū cīvitātis et quasi dolēns eius cāsum, requīrere coepit 'quem exitum tantīs malīs spērārent?' Postquam illōs videt querī dē avāritiā magistrātuum, accūsāre senātum 'quod in eō auxilī nihil esset – miseriīs suīs remedium mortem exspectāre!' "At ego" inquit "vōbīs, sī modo virī esse vultis, ratiōnem ostendam, quā tanta ista mala effugiātis." Haec ubi dīxit, Allobrogēs in māximam spem adductī Umbrēnum ōrāre, 'utī suī miserērētur: nihil tam asperum neque tam

- (mēns) aliēna : turbāta, furēns
- adeō = etiam
- *iī* quibus...
- ōdēre = ōd*ērunt*
- īsdem = iīsdem
- mōribus aut fortūnā : ob mōrēs aut fortūnam
- cuiusque modī genus hominum = hominēs cuiusque generis (quī... forent)
- Allobrogēs -um *m pl*: gēns Galliae (Alpium), quae lēgātōs Rōmam mīserat
- re-quīrere = quaerendī causā adīre
- exīstimāns eōs... oppressōs
- negōtiārī = negōtia gerere, negōtiātor esse
- dē statū cīvitātis *eōrum* (*Allobrogum*)
- magistrātuum *Rōmānōrum*
- *sē* exspectāre
- ōrāre : ōr*ant*
- (*ōrātiō rēcta:*) "miserēre nostrī!"

difficile esse, quod nōn cupidissimē factūrī essent, dum ea rēs cīvitātem aere aliēnō līberāret.' Ille eōs in domum D. Brūtī perdūcit, quod forō propinqua erat neque aliēna cōnsilī propter Semprōniam; nam tum Brūtus ab Rōmā aberat. Praetereā Gabīnium arcessit, quō māior auctōritās sermōnī inesset; eō praesente coniūrātiōnem aperit, nōminat sociōs, praetereā multōs cuiusque generis innoxiōs, quō lēgātīs animus amplior esset. Deinde eōs pollicitōs operam suam domum dīmittit.

dum + *coni* = dummodo
D. *Iūnius* Brūtus, cōs. annō 77 a.C., marītus Semprōniae (v. p. 15)
per-dūcere
aliēna cōnsil*ī* = aliēna ā cōnsiliō
quō -ior... +*coni* = ut eō -ior...
in-noxius = innocēns, īnsōns

41 Sed Allobrogēs diū in incertō habuēre, quidnam cōnsilī caperent. In alterā parte erat aes aliēnum, studium bellī, magna mercēs in spē victōriae; at in alterā māiōrēs opēs, tūta cōnsilia, prō incertā spē certa praemia. Haec illīs volventibus, tandem vīcit fortūna reī pūblicae. Itaque Q. Fabiō Sangae, cuius patrōciniō cīvitās plūrimum ūtēbātur, rem omnem utī cognōverant aperiunt. Cicerō, per Sangam cōnsiliō cognitō, lēgātīs praecipit 'ut studium coniūrātiōnis vehementer simulent, cēterōs adeant, bene polliceantur, dentque operam utī eōs quam māximē manifēstōs habeant.'

in incertō habēre = incertus esse, dubitāre
: quō patrōnō cīvitās (*Allobrogum*) ... ūtēbātur
aperīre = nōtum facere
cēterōs *coniūrātōs*
manifēstus -a -um = plānē noxius

42 Īsdem ferē temporibus in Galliā citeriōre atque ulteriōre, item in agrō Pīcēnō, Bruttiō, Āpuliā mōtus erat. Namque illī quōs ante Catilīna dīmīserat incōnsultē ac velutī per dēmentiam cūncta simul agēbant: nocturnīs cōnsiliīs, armōrum atque tēlōrum portātiōnibus, festīnandō, agitandō omnia, plūs timōris quam perīculī effēcerant. Ex eō numerō complūrēs Q. Metellus Celer praetor ex senātūs cōnsultō, causā cognitā, in vincula

Bruttium -ī *n:* regiō Bruttiōrum
in-cōnsultē = temere, incautē
dēmentia -ae *f* < dēmēns
portātiō -ōnis *f* < portāre
causā cognitā : quaestiōne habitā

C. *Licinius* Mūrēna, lēgātus frātrī L. Liciniō Mūrēnae (quī Rōmae cōnsulātum petēbat)

coniēcerat, item in ulteriōre Galliā C. Mūrēna, quī eī prōvinciae lēgātus praeerat.

ager Faesulānus: circum Faesulās oppidum

invidiam (ob bellum gravissimum)

ea : negōtia

alius autem alium *interficeret, alius alium*

43 At Rōmae Lentulus cum cēterīs quī prīncipēs coniūrātiōnis erant – parātīs, ut vidēbātur, magnīs cōpiīs – cōnstituerat utī, cum Catilīna in agrum Faesulānum cum exercitū vēnisset, L. Bēstia tribūnus plēbis cōntiōne habitā quererētur dē āctiōnibus Cicerōnis bellīque gravissimī invidiam optimō cōnsulī impōneret: eō signō proximā nocte cētera multitūdō coniūrātiōnis suum quisque negōtium exsequerētur. Sed ea dīvīsa hōc modō dīcēbantur: Statilius et Gabīnius utī cum magnā manū duodecim simul opportūna loca urbis incenderent, quō tumultū facilior aditus ad cōnsulem cēterōsque quibus īnsidiae parābantur fieret; Cethēgus Cicerōnis iānuam obsidēret eumque vī aggrederētur – alius autem alium, sed fīliī familiārum, quōrum ex nōbilitāte māxima pars erat, parentēs interficerent; simul, caede et incendiō perculsīs omnibus, ad Catilīnam ērumperent.

inter haec parāta atque dēcrēta : dum haec parantur atque dēcernuntur

(diem) prō-lātāre = (rem in diem posterum) prōferre

: fac*ere* nōn cōnsul*ere*... opus esse

languēre = sēgnis esse; languentibus aliīs : etsī aliī languērent

Inter haec parāta atque dēcrēta Cethēgus semper querēbātur dē ignāviā sociōrum: 'illōs dubitandō et diēs prōlātandō magnās opportūnitātēs corrumpere; factō, nōn cōnsultō in tālī perīculō opus esse, sēque, sī paucī adiuvārent, languentibus aliīs, impetum in Cūriam factūrum!' Nātūrā ferōx, vehemēns, manū prōmptus erat, māximum bonum in celeritāte putābat.

cēterōs conveniunt = cum cēterīs conveniunt

44 Sed Allobrogēs ex praeceptō Cicerōnis per Gabīnium cēterōs conveniunt. Ab Lentulō, Cethēgō, Statiliō, item Cassiō postulant iūs iūrandum, quod signātum ad cīvēs

perferant: 'aliter haud facile eōs ad tantum negōtium impellī posse.' Cēterī nihil suspicantēs dant, Cassius 'sēmet eō brevī ventūrum' pollicētur, ac paulō ante lēgātōs ex urbe proficīscitur. Lentulus cum eīs T. Volturcium quendam Crotōniēnsem mittit, ut Allobrogēs, prius quam domum pergerent, cum Catilīnā, datā atque acceptā fidē, societātem cōnfīrmārent. Ipse Volturciō litterās ad Catilīnam dat, quārum exemplum īnfrā scrīptum est:

cēterī : omnēs praeter Cassium

Crōtōniēnsis -is *m* < Crōtōn -ōnis *f*, cīvitās Bruttiōrum

"*Quis sim, ex eō quem ad tē mīsī cognōscēs. Fac cōgitēs in quantā calamitāte sīs, et memineris tē virum esse! Cōnsīderēs quid tuae ratiōnēs postulent. Auxilium petās ab omnibus, etiam ab īnfimīs.*" Ad hoc mandāta verbīs dat: 'cum ab senātū hostis iūdicātus sit, quō cōnsiliō servitia repudiet? In urbe parāta esse quae iusserit: nē cūnctētur ipse propius accēdere.'


fac cōgitēs = cūrā ut cōgitēs, cōgitā
memineris : mementō
cōnsīderēs, petās : cōnsīderā, pete
īnfimī : servī
(*ōrātiō rēcta:*) "cum...hostis iūdicātus *sīs*, quō cōnsiliō (: quārē) servitia repudi*ās*? In urbe parāta *sunt* quae iuss*istī:* nē cūnct*ēris* ipse propius accēdere!"

Hīs rēbus ita āctīs, cōnstitūtā nocte quā proficīscerentur, Cicerō, per lēgātōs cūncta ēdoctus, L. Valeriō Flaccō et C. Pomptīnō praetōribus imperat ut in ponte Mulviō per īnsidiās Allobrogum comitātūs dēprehendant. Rem omnem aperit cuius grātiā mittēbantur; cētera utī factō opus sit ita agant, permittit.

cūncta ēdoctus : dē cūnctīs rēbus certior factus
pōns Mulvius: quō Tiberim trānsit via Flāminia
permittit *iīs ut* cētera ita agant utī fac*ere* opus sit

Illī, hominēs mīlitārēs, sine tumultū praesidiīs collocātīs, sīcutī praeceptum erat, occultē pontem obsīdunt. Postquam ad id locī lēgātī cum Volturciō vēnērunt et simul utrimque clāmor exortus est, Gallī, citō cognitō cōnsiliō, sine morā praetōribus sē trādunt. Volturcius prīmō cohortātus cēterōs gladiō sē ā multitūdine dēfendit; deinde, ubi ā lēgātīs dēsertus est, multa prius dē

mīlitāris = reī mīlitāris perītus
ob-sīdere = occupāre
ad id locī = ad eum locum



vītae (*dat*) diffīdere = vītam dēspērāre

salūte suā Pomptīnum obtestātus, quod eī nōtus erat, postrēmō timidus ac vītae diffīdēns velut hostibus sēsē praetōribus dēdit.

porrō = ad hoc, praetereā

onerī esse = molestum esse
perdundae reī pūblicae (*dat*) fore : rem pūblicam perditūram esse


Quibus rēbus cōnfectīs, omnia properē per nūntiōs 46
cōnsulī dēclārantur. At illum ingēns cūra atque laetitia simul occupāvēre: nam laetābātur intellegēns coniūrātiōne patefactā cīvitātem perīculīs ēreptam esse; porrō autem anxius erat dubitāns, in māximō scelere tantīs cīvibus dēprehēnsīs, quid factō opus esset: poenam illōrum sibi onerī, impūnitātem perdundae reī pūblicae fore crēdēbat.

Tarracīnēnsis -is *m* < Tarracīna, oppidum Latiī maritimum

indicium -ī *n* = quod indicātur (dē maleficiō); cognitō indiciō : cum cognōvisset indicium factum esse

Igitur, cōnfīrmātō animō, vocārī ad sēsē iubet Lentulum, Cethēgum, Statilium, Gabīnium, itemque Caepārium Tarracīnēnsem, quī in Āpuliam ad concitanda servitia proficīscī parābat. Cēterī sine morā veniunt, Caepārius, paulō ante domō ēgressus, cognitō indiciō ex urbe profūgerat.

eius ōrdinis : senātōrum



scrīnium -ī *n*

Cōnsul Lentulum, quod praetor erat, ipse manū tenēns in senātum perdūcit, reliquōs cum cūstōdibus in aedem Concordiae venīre iubet. Eō senātum advocat, magnāque frequentiā eius ōrdinis Volturcium cum lēgātīs intrōdūcit; Flaccum praetōrem scrīnium cum litterīs, quās ā lēgātīs accēperat, eōdem adferre iubet.

quid cōnsil*iī* (= quod cōnsilium) habuisset
dis-simulāre = simulāre sē ignōrāre; fing*it*, dissimul*at*
fidē pūblicā (*impūnitātis*) *datā*

Volturcius interrogātus dē itinere, dē litterīs, postrēmō 47
'quid aut quā dē causā cōnsilī habuisset?' prīmō fingere alia, dissimulāre dē coniūrātiōne; post, ubi fidē pūblicā dīcere iussus est, omnia utī gesta erant aperit, docetque 'sē, paucīs ante diēbus ā Gabīniō et Caepāriō socium

adscītum, nihil amplius scīre quam lēgātōs, tantummodo audīre solitum ex Gabīniō P. Autrōnium, Ser. Sullam, L. Varguntēium, multōs praetereā in eā coniūrātiōne esse.' Eadem Gallī fatentur, ac Lentulum dissimulantem coarguunt, praeter litterās, sermōnibus quōs ille habēre solitus erat: 'ex librīs Sibyllīnīs rēgnum Rōmae tribus Cornēliīs portendī: Cinnam atque Sullam anteā, sē tertium esse cui fātum foret urbis potīrī! Praetereā ab incēnsō Capitōliō illum esse vīcēsimum annum, quem saepe ex prōdigiīs haruspicēs respondissent bellō cīvīlī cruentum fore.'

a(d)-scīscere -īvisse -ītum
solitum *esse*
co-arguere = convincere (facinoris)
'*Cornēlium* Cinnam atque *Cornēlium* Sullam anteā *fuisse*'
urb*is* potīrī = urbis potēns fierī, urb*e* potīrī
templum Iovis Capitōlīnī incēnsum est annō 83 a.C.
haruspex -icis *m* = vātēs quī ex prōdigiīs futūra praedīcit

Igitur, perlēctīs litterīs, cum prius omnēs signa sua cognōvissent, senātus dēcernit 'utī abdicātō magistrātū Lentulus itemque cēterī in līberīs cūstōdiīs habeantur.' Itaque Lentulus P. Lentulō Spintherī, quī tum aedīlis erat, Cethēgus Q. Cornificiō, Statilius C. Caesarī, Gabīnius M. Crassō, Caepārius – nam is paulō ante ex fugā retractus erat – Cn. Terentiō senātōrī trāduntur.

per-legere
cognōscere = agnōscere
magistrātū (sē) ab-dicāre = magistrātum dēpōnere
in līberīs cūstōdiīs: apud cīvēs nōbilēs
P. *Cornēlius* Lentulus Spinthēr (-ēris), cōs. annō 57 a.C.

48 Intereā plēbs, coniūrātiōne patefactā, quae prīmō cupida rērum novārum nimis bellō favēbat, mūtātā mente Catilīnae cōnsilia exsecrārī, Cicerōnem ad caelum tollere: velutī ex servitūte ērepta gaudium atque laetitiam agitābat. Namque alia bellī facinora praedae magis quam dētrīmentō fore, incendium vērō crūdēle, immoderātum ac sibi māximē calamitōsum putābat, quippe cui omnēs cōpiae in ūsū cotīdiānō et cultū corporis erant.

: exsecr*ābātur*
: ad caelum toll*ēbat* (: summīs laudibus afficiēbat)
gaudium/laetitiam agitābat : gaudēbat/laetābātur
praedae magis quam dētrīmentō *sibi* fore *putābat*
calamitōsus -a -um < calamitās
quippe cui = quia eī (: plēbī)
cōpiae = opēs, bona
ūsus -ūs *m* = quod ūsuī est, rēs necessāriae

M. TVLLII CICERONIS
IN L. CATILINAM ORATIO TERTIA

habita ad populum a. d. III nōn. Dec.
annō DCXCI a. u. c.

Rem pūblicam, Quirītēs, vītamque omnium vestrum, bona, fortūnās, coniugēs līberōsque vestrōs, atque hoc domicilium clārissimī imperī, fortūnātissimam pulcherrimamque urbem, hodiernō diē, deōrum immortālium summō ergā vōs amōre, labōribus, cōnsiliīs, perīculīs meīs, ē flammā atque ferrō ac paene ex faucibus fātī ēreptam et vōbīs cōnservātam ac restitūtam vidētis. 1

Et sī nōn minus nōbīs iūcundī atque illūstrēs sunt eī diēs quibus cōnservāmur quam illī quibus nāscimur, quod salūtis certa laetitia est, nāscendī incerta condiciō, et quod sine sēnsū nāscimur, cum voluptāte servāmur, profectō, quoniam illum quī hanc urbem condidit ad deōs immortālēs benevolentiā fāmāque sustulimus, esse apud vōs posterōsque vestrōs in honōre dēbēbit is quī eandem hanc urbem conditam amplificātamque servāvit! Nam tōtī urbī, templīs, dēlūbrīs, tēctīs ac moenibus subiectōs prope iam ignēs circumdatōsque restīnximus, iīdemque gladiōs in rem pūblicam dēstrictōs rettudimus mūcrōnēsque eōrum ā iugulīs vestrīs dēiēcimus! 2

Quae quoniam in senātū illūstrāta, patefacta, comperta sunt per mē, vōbīs iam expōnam breviter, ut, et quanta et quam manifēsta et quā ratiōne investīgāta et 3

rem pūblicam vītamque omnium vestrum (= vestram omnium), bona... atque... urbem... restitūtam vidētis

hodiernō diē = hodiē

labōribus... meīs

faucēs -ium *f* = ōs avidum dēvorandī

nāscendī condiciō = condiciō (fortūna) eius quī nāscitur

illum : Rōmulum

bene-volentia ↔ male-volentia

is : Cicerō


nam ignēs tōtī urbī... prope iam subiectōs circumdatōsque restīnximus (: restīnxī, *pers 1 pl prō sg*)

iīdemque : itemque (nōs)

dē-stringere = stringere

re-tundere rettudisse -tūsum = repellere

mūcrō -ōnis *m* = extrēmus gladius acūtus

mūcrō 

comprehēnsa sint, vōs quī et ignōrātis et exspectātis scīre possītis.

ut vōs..... scīre possītis et quanta et quam manifēsta et quā ratiōne investīgāta et comprehēnsa sint

Prīncipiō, ut Catilīna paucīs ante diēbus ērūpit ex urbe, cum sceleris suī sociōs huiusce nefāriī bellī ācerrimōs ducēs Rōmae relīquisset, semper vigilāvī et prōvīdī, Quirītēs, quemadmodum in tantīs ac tam absconditīs īnsidiīs salvī esse possēmus. Nam tum cum ex urbe Catilīnam ēiciēbam – nōn enim iam vereor huius verbī invidiam, cum illa magis sit timenda, quod vīvus exierit! – sed tum cum illum exterminārī volēbam, aut reliquam coniūrātōrum manum simul exitūram aut eōs quī resti-
4 tissent īnfīrmōs sine illō ac dēbilēs fore putābam. Atque ego ut vīdī quōs māximō furōre et scelere esse īnflammātōs sciēbam eōs nōbīscum esse et Rōmae remānsisse, in eō omnēs diēs noctēsque cōnsūmpsī ut quid agerent, quid mōlīrentur sentīrem ac vidērem, ut, quoniam auribus vestrīs propter incrēdibilem magnitūdinem sceleris minōrem fidem faceret ōrātiō mea, rem ita comprehenderem, ut tum dēmum animīs salūtī vestrae prōvidērētis, cum oculīs maleficium ipsum vidērētis.

prō-vīdēre = ante vidēre et cūrāre
abs-conditus -a -um = abditus
huius verbī invidiam : invidiam ob hoc verbum
ex-termināre = ē terminīs (in exsilium) expellere
re-stāre -stitisse = remanēre
ut vīdī nōbīscum esse... eōs quōs māximō furōre et scelere īnflammātōs esse sciēbam
minōrem fidem faceret : minus crēdibilis esset
prō-vidēre + *dat:* salūtī prōvidēre = dē salūte p.

Itaque, ut comperī 'lēgātōs Allobrogum bellī Trānsalpīnī et tumultūs Gallicī excitandī causā ā P. Lentulō esse sollicitātōs, eōsque in Galliam ad suōs cīvēs cum litterīs mandātīsque eōdemque itinere ad Catilīnam esse missōs, comitemque eīs adiūnctum esse T. Volturcium atque huic esse ad Catilīnam datās litterās', facultātem mihi oblātam putāvī ut – quod erat difficillimum quodque ego semper optābam ab dīs immortālibus – tōta rēs

oblātam *esse*

manifēstō *adv* = palam

nōn sōlum ā mē, sed etiam ā senātū et ā vōbīs manifēstō dēprehenderētur.

hesternō diē = herī

5 Itaque hesternō diē L. Flaccum et C. Pomptīnum praetōrēs, fortissimōs atque amantissimōs reī pūblicae virōs, ad mē vocāvī; rem exposuī, quid fierī placēret ostendī. Illī autem, quī omnia dē rē pūblicā praeclāra atque ēgregia sentīrent, sine recūsātiōne ac sine ūllā morā negōtium suscēpērunt, et, cum advesperāsceret, occultē ad pontem Mulvium pervēnērunt atque ibi in proximīs vīllīs ita bipertītō fuērunt ut Tiberis inter eōs et pōns interesset. Eōdem autem et ipsī, sine cuiusquam suspīciōne, multōs fortēs virōs ēdūxerant, et ego ex praefectūrā Reātīnā complūrēs dēlēctōs adulēscentēs, quōrum operā ūtor assiduē in reī pūblicae praesidiō, cum gladiīs mīseram.

quī... sentīrent : cum... sentīrent
recūsātiō -ōnis *f* < recūsāre
ad-vesperāscere: advesperāscit = vesper fit
bi-pertītus -a -um = in duās partēs dīvīsus; *adv* -ō
praefectūra -ae *f* = cīvitās Italiae quae ā praefectō Rōmānō administrābātur
Reātīnus -a -um < Reāte -is *n*, cīvitās Sabīnōrum, cui Cicerō erat patrōnus

6 Interim tertiā ferē vigiliā exāctā, cum iam pontem Mulvium magnō comitātū lēgātī Allobrogēs ingredī inciperent ūnāque Volturcius, fit in eōs impetus; dūcuntur et ab illīs gladiī et ā nostrīs. Rēs praetōribus erat nōta sōlīs, ignōrābātur ā cēterīs. Tum interventū Pomptīnī atque Flaccī pugna quae erat commissa sēdātur. Litterae quaecumque erant in eō comitātū integrīs signīs praetōribus trāduntur; ipsī comprehēnsī ad mē, cum iam dīlūcēsceret, dēdūcuntur.

III vigiliā exāctā (: fīnītā) : IX hōrā noctis
ūnāque *cum iīs*
(gladium) dūcere = ēdūcere, stringere
dī-lūcēscere = illūcēscere (↔ advesperāscere)

Atque hōrum omnium scelerum improbissimum māchinātōrem, Cimbrum Gabīnium, statim ad mē nihildum suspicantem vocāvī, deinde item accersītus est L. Statilius et post eum Cethēgus; tardissimē autem Lentulus

māchinātor -ōris *m* = quī māchinātur
nihil-dum = nihil adhūc
Cimber -brī (cognōmen): P. Gabīnius Cimber (= P. Gabīnius *Capitō*, p. 10)

vēnit – credō quod in litterīs dandīs praeter cōnsuētūdinem proximā nocte vigilārat!

-ārat = -āverat

7 Cum summīs et clārissimīs huius cīvitātis virīs, quī audītā rē frequentēs ad mē māne convēnerant, litterās ā mē prius aperīrī quam ad senātum dēferrī placēret, 'nē, sī nihil esset inventum, temere ā mē tantus tumultus iniectus cīvitātī vidērētur', negāvī 'mē esse factūrum ut dē perīculō pūblicō nōn ad cōnsilium pūblicum rem integram dēferrem.' Etenim, Quirītēs, sī ea quae erant ad mē dēlāta reperta nōn essent, tamen ego nōn arbitrābar in tantīs reī pūblicae perīculīs esse mihi nimiam dīligentiam pertimēscendam.

cum summīs... virīs... placēret (= etsī...placēbat) litterās ā mē prius aperīrī...

(*ōrātiō rēcta:*) "nē, sī nihil *erit* inventum, temere ā *tē* tantus tumultus iniectus *esse* cīvitātī vide*ātur*"

negāvī 'mē esse factūrum ut...' = dīxī 'mē nōn esse factūrum ut...' ("nōn faci*am* ut ... nōn ... rem integram dēfer*am*")

dēlāta : indicāta

8 Senātum frequentem celeriter, ut vīdistis, coēgī. Atque intereā statim, admonitū Allobrogum, C. Sulpicium praetōrem, fortem virum, mīsī, quī ex aedibus Cethēgī, sī quid tēlōrum esset, efferret: ex quibus ille māximum sīcārum numerum et gladiōrum extulit!

quī... efferret : ut... efferret

sī quid tēlōrum esset = sī (ali)qua tēla ibi essent

Intrōdūxī Volturcium sine Gallīs; fidem pūblicam iussū senātūs dedī; hortātus sum 'ut ea quae scīret sine timōre indicāret'. Tum ille dīxit, cum vix sē ex magnō timōre recreāsset, 'ā P. Lentulō sē habēre ad Catilīnam mandāta et litterās: ut servōrum praesidiō ūterētur, ut ad urbem quam prīmum cum exercitū accēderet! – id autem eō cōnsiliō, ut, cum urbem ex omnibus partibus, quemadmodum dēscrīptum distribūtumque erat, incendissent caedemque īnfīnītam cīvium fēcissent, praestō esset ille, quī et fugientēs exciperet et sē cum hīs urbānīs ducibus coniungeret!'

fidem pūblicam dare : impūnitātem prōmittere

dē-scrībere = litterīs expōnere

praestō *adv:* praestō esse = parātus adesse

quī... exciperet = ut... exciperet

(Gallī:) "iūs iūrandum *nōbīs* et litter*ae* ā P.L. ... ad *nostram* gentem dat*ae sunt*, atque ita *nōbīs* ab hīs et ā L.C. *est* praescrīptum ut equitātum... mitter*ēmus*"
prae-scrībere = praecipere

(coniūrātī:) "pedestr*ēs* cōpi*ae nōbīs* nōn de*erunt*"
(Gallī:) "Lentul*us* autem *nōbīs* cōnfīrmāv*it* '...'"

eundemque dīxisse = itemque eum dīxisse

absolūtiō -ōnis *f* < absolvere (virginēs Vestālēs stuprī absolūtae erant)
incēnsiō -ōnis *f* < incendere

contrōversia -ae *f* = iūrgium

Sāturnālibus: a. d. XVI kal. Iān.
(nimium) longum : sērum
nē longum sit : ut breviter dīcam
tabellae = litterae
datae *esse*

līnum -ī *n* = līnea (quā tabellae colligantur)

"*ego* quae *vestrīs* lēgātīs cōnfīrmāv*ī* faci*am*; ōrō ut item *vōs* faci*ātis* quae *mihi vestrī* lēgātī recēp*ērunt*"
recipere + *dat* = prōmittere

ferrāmentum -ī *n* = īnstrūmentum ferreum
ab-iectus = afflīctus

Intrōductī autem Gallī 'iūs iūrandum sibi et litterās ā P. 9
Lentulō, Cethēgō, Statiliō ad suam gentem datās esse'
dīxērunt, 'atque ita sibi ab hīs et ā L. Cassiō esse prae-
scrīptum, ut equitātum in Italiam quam prīmum mit-
terent: 'pedestrēs sibi cōpiās nōn dēfutūrās'; Lentulum
autem sibi cōnfīrmāsse 'ex fātīs Sibyllīnīs haruspicum-
que respōnsīs sē esse tertium illum Cornēlium ad
quem rēgnum huius urbis atque imperium pervenīre
esset necesse – Cinnam ante sē et Sullam fuisse';
eundemque dīxisse 'fātālem hunc annum esse ad
interitum huius urbis atque imperī, quī esset annus
decimus post virginum absolūtiōnem, post Capitōlī
autem incēnsiōnem vīcēsimus'. Hanc autem Cethēgō 10
cum cēterīs contrōversiam fuisse' dīxērunt 'quod Lentulō
et aliīs Sāturnālibus caedem fierī atque urbem incendī
placēret, Cethēgō nimium id longum vidērētur.'

Ac nē longum sit, Quirītēs, tabellās prōferrī iussimus quae ā quōque dīcēbantur datae. Prīmō ostendimus Cethēgō; signum cognōvit. Nōs līnum incīdimus, lēgimus. Erat scrīptum ipsīus manū Allobrogum senātuī et populō: *'sēsē quae eōrum lēgātīs cōnfīrmāsset factūrum esse; ōrāre ut item illī facerent quae sibi eōrum lēgātī recēpissent.'*

Tum Cethēgus, quī paulō ante aliquid tamen dē gladiīs ac sīcīs quae apud ipsum erant dēprehēnsae respondisset dīxissetque 'sē semper bonōrum ferrāmentōrum studiōsum fuisse!', recitātīs litterīs dēbilitātus atque abiectus cōnscientiā repente conticuit.

Indrōductus Statilius cognōvit et litterās et manum suam. Recitātae sunt tabellae in eandem ferē sententiam; cōnfessus est.

Tum ostendī tabellās Lentulō et quaesīvī 'cognōsceretne signum?' Adnuit. "Est vērō" inquam "nōtum quidem signum: imāgō avī tuī, clārissimī virī, quī amāvit ūnicē patriam et cīvēs suōs: quae quidem tē ā tantō scelere
11 etiam mūta revocāre dēbuit!" Leguntur eādem ratiōne ad senātum Allobrogum populumque litterae. Sī quid dē hīs rēbus dīcere vellet, fēcī potestātem.

Atque ille prīmō quidem negāvit. Post autem aliquantō, tōtō iam indiciō expositō atque ēditō, surrēxit, quaesīvit ā Gallīs 'quid sibi esset cum eīs, quamobrem domum suam vēnissent?' itemque ā Volturciō. Quī cum illī breviter cōnstanterque respondissent, per quem ad eum quotiēsque vēnissent, quaesīssentque ab eō 'nihilne sēcum esset dē fātīs Sibyllīnīs locūtus?' tum ille subitō, scelere dēmēns, quanta cōnscientiae vīs esset ostendit: nam cum id posset īnfitiārī, repente praeter opīniōnem omnium cōnfessus est. Ita eum nōn modo ingenium illud et dīcendī exercitātiō, quā semper valuit, sed etiam – propter vim sceleris manifēstī atque dēprehēnsī – impudentia, quā superābat omnēs, improbitāsque dēfēcit!

12 Volturcius vērō subitō litterās prōferrī atque aperīrī iubet, 'quās sibi ā Lentulō ad Catilīnam datās esse' dīcēbat. Atque ibi vehementissimē perturbātus Lentulus tamen et signum et manum suam cognōvit. Erant autem sine nōmine, sed ita:

manum suam : litterās suā manū scrīptās

"cognōscis-ne signum?"

ad-nuere -nuisse = assentīre nūtū (mōtū capitis)
avī tuī: P. Cornēliī Lentulī, cōs. annō 162 a.C.

eādem ratiōne : in eandem sententiam

aliquantō post

quid : quid *negōtiī*
"quid *mihi* est *vōbīs*cum, quamobrem domum *meam* vēn*eritis?*"

quaesīssent = quaesī*v*issent
"nihilne *nōbīs*cum dē fātīs Sibyllīnīs locūtus *es*?"
fāta Sibyllīna: librī Sibyllīnī (quibus praedīcuntur fāta)

cum... posset : etsī... poterat
īnfitiārī ↔ cōnfitērī
eum... dēfēcit (: eī dēfuit)

dīcendī exercitātiō : ars dīcendī, ēloquentia

improbitās -ātis *f* < improbus

(Volturcius:) "prōfer litterās quae *mihi* ā Lentulō ad Catilīnam dat*ae sunt!*"

ecquid = num quid

"Quis sim, sciēs ex eō quem ad tē mīsī. Cūrā ut vir sīs, et cōgitā quem in locum sīs prōgressus. Vidē ecquid tibi iam sit necesse, et cūrā ut omnium tibi auxilia adiungās, etiam īnfimōrum."

ad extrēmum = postrēmō
īnsimulāre = accūsāre

Gabīnius deinde intrōductus, cum prīmō impudenter respondēre coepisset, ad extrēmum nihil ex eīs quae Gallī īnsimulābant negāvit.

cum (illa...), tum (...illa) = nōn modo..., sed etiam...
argūmentum = id quod aliquid vērum esse dēclārat
fūrtim = fūris modō, clam
indicāre = male fēcisse indicāre

Ac mihi quidem, Quirītēs, cum illa certissima vīsa sunt 13
argūmenta atque indicia sceleris: tabellae, signa, manūs, dēnique ūnīus cuiusque cōnfessiō, tum multō certiōra illa: color, oculī, vultūs, taciturnitās. Sīc enim obstupuerant, sīc terram intuēbantur, sīc fūrtim nōnnumquam inter sēsē aspiciēbant, ut nōn iam ab aliīs indicārī, sed indicāre sē ipsī vidērentur.

summa rēs pūblica : salūs reī pūblicae

Indiciīs expositīs atque ēditīs, Quirītēs, senātum cōnsuluī 'dē summā rē pūblicā quid fierī placēret?' Dictae sunt ā prīncipibus ācerrimae ac fortissimae sententiae, quās senātus sine ūllā varietāte est secūtus. Et quoniam nōndum est perscrīptum senātūs cōnsultum, ex memoriā vōbīs, Quirītēs, quid senatus cēnsuerit expōnam:

prōvidentia -ae *f* < prōvidēre
meritō *adv* : ut meruērunt
collēgae : C. Antōniō

Prīmum mihi grātiae verbīs amplissimīs aguntur, 14
'quod virtūte, cōnsiliō, prōvidentiā meā rēs pūblica māximīs perīculīs sit līberāta.' Deinde L. Flaccus et C. Pomptīnus praetōrēs, quod eōrum operā fortī fidēlīque ūsus essem, meritō ac iūre laudantur. Atque etiam virō fortī, collēgae meō, laus impertītur 'quod eōs quī huius coniūrātiōnis participēs fuissent ā suīs et ā reī pūblicae cōnsiliīs remōvisset.' Atque ita cēnsuērunt 'ut P. Lentulus,

cum sē praetūrā abdicāsset, in cūstōdiam trāderētur'; itemque 'utī C. Cethēgus, L. Statilius, P. Gabīnius', quī omnēs praesentēs erant, 'in cūstōdiam trāderentur'; atque idem hoc dēcrētum est in L. Cassium, quī sibi prōcūrātiōnem incendendae urbis dēpoposcerat, in M. Cēpārium, cui ad sollicitandōs pāstōrēs Āpuliam attribūtam esse erat indicātum, in P. Fūrium, quī est ex eīs colōnīs quōs Faesulās L. Sulla dēdūxit, in Q. Annium Chīlōnem, quī ūnā cum hōc Fūriō semper erat in hāc Allobrogum sollicitātiōne versātus, in P. Umbrēnum, lībertīnum hominem, ā quō prīmum Gallōs ad Gabīnium perductōs esse cōnstābat. Atque eā lēnitāte senātus est ūsus, Quirītēs, ut ex tantā coniūrātiōne tantāque hāc multitūdine domesticōrum hostium, novem hominum perditissimōrum poenā rē pūblicā cōnservātā, reliquōrum mentēs sānārī posse arbitrārētur.

prōcūrātiō (< prō-cūrāre) = rēs cūranda, mūnus
dē-poscere = poscere
Cēpārius = Caepārius
at-tribuere = tribuere (rem agendam)

Chīlō -ōnis, cognōmen
sollicitātiō -ōnis *f* < sollicitāre
in rē versārī : rem agitāre, reī operam dare

lēnitās -ātis *f* (< lēnis) = clēmentia

Atque etiam supplicātiō dīs immortālibus prō singulārī eōrum meritō meō nōmine dēcrēta est, quod mihi prīmum post hanc urbem conditam togātō contigit, et hīs dēcrēta verbīs est: 'quod urbem incendiīs, caede cīvēs, Italiam bellō līberāssem.' Quae supplicātiō sī cum cēterīs supplicātiōnibus cōnferātur, hoc interest, quod cēterae bene gestā, haec ūna cōnservātā rē pūblicā cōnstitūta est.

cōn-ferre = comparāre

cēterae bene gestā *rē pūblicā cōnstitūtae sunt*

Atque illud quod faciendum prīmum fuit factum atque trānsāctum est: nam P. Lentulus, quamquam patefactīs indiciīs, cōnfessiōnibus suīs, iūdiciō senātūs nōn modo praetōris iūs, vērum etiam cīvis āmīserat, tamen

ut nōs in prīvātō P. Lentulō pūniendō eā religiōne līberārēmur quae C. Mariō... nōn fuerat *quōminus* C. G. ... praetōrem occīderet
(nōn) quō-minus + *coni* = nē
nōminātim *adv* = cum nōmine

magistrātū sē abdicāvit, ut quae religiō C. Mariō, clārissimō virō, nōn fuerat quōminus C. Glauciam, dē quō nihil nōminātim erat dēcrētum, praetōrem occīderet, eā nōs religiōne in prīvātō P. Lentulō pūniendō līberārēmur.

cōnscelerātus -a -um = scelerātus

16 Nunc quoniam, Quirītēs, cōnscelerātissimī perīculōsissimīque bellī nefāriōs ducēs captōs iam et comprehēnsōs tenētis, exīstimāre dēbētis omnēs Catilīnae cōpiās, omnēs spēs atque opēs hīs dēpulsīs urbis perīculīs concidisse. Quem quidem ego cum ex urbe pellēbam, hoc prōvidēbam animō, Quirītēs, remōtō Catilīnā nōn mihi esse P. Lentulī somnum, nec L. Cassī adipēs nec C. Cethēgī furiōsam temeritātem pertimēscendam. Ille erat ūnus timendus ex istīs omnibus, sed tam diū dum urbis moenibus continēbātur.

adeps -ipis *f*: in corpore crassō multum est *adipis*
: nōn mihi pertimēscendum esse *somniculōsum* P. Lentulum nec *pinguem* L. Cassium nec furiōsum et temerārium C. Cethēgum
somniculōsus -a -um = cupidus somnī, sēgnis
pinguis -e = crassus (ob nimium adipis)
omnium aditūs tenēbat : omnēs adīre poterat
cōnsilium : mēns callida
neque lingua neque manus : neque verba neque vīrēs

Omnia nōrat, omnium aditūs tenēbat; appellāre, temptāre, sollicitāre poterat, audēbat. Erat eī cōnsilium ad facinus aptum, cōnsiliō autem neque lingua neque manus deerat. Iam ad certās rēs cōnficiendās certōs hominēs dēlēctōs ac discrīptōs habēbat. Neque vērō, cum aliquid mandārat, cōnfectum putābat: nihil erat quod nōn ipse obīret, occurreret, vigilāret, labōrāret; frīgus, sitim, famem ferre poterat. Hunc ego hominem tam ācrem, 17 tam audācem, tam parātum, tam callidum, tam in scelere vigilantem, tam in perditīs rēbus dīligentem, nisi ex domesticīs īnsidiīs in castrēnse latrōcinium compulissem – dīcam id quod sentiō, Quirītēs – , nōn facile hanc tantam mōlem malī ā cervīcibus vestrīs dēpulissem. Nōn

cum aliquid *aliīs* mandārat

nisi ego hunc hominem ... compulissem

castrēnsis -e < castra

cervīx -īcis *f* = collī pars posterior

ille nōbīs Sāturnālia cōnstituisset neque tantō ante exitī ac fātī diem reī pūblicae dēnūntiāvisset, neque commīsisset ut signum, ut litterae suae testēs manifēstī sceleris dēprehenderentur. Quae nunc illō absente sīc gesta sunt ut nūllum in prīvātā domō fūrtum umquam sit tam palam inventum quam haec in tōtā rē pūblicā coniūrātiō manifēstō comprehēnsa est.

committere ut... = ita facere ut...

palam invenīre = pate-facere

manifēstō *adv*

Quod sī Catilīna in urbe ad hanc diem remānsisset, quamquam, quoad fuit, omnibus eius cōnsiliīs occurrī atque obstitī, tamen – ut levissimē dīcam – dīmicandum nōbīs cum illō fuisset, neque nōs umquam, cum ille in urbe hostis esset, tantīs perīculīs rem pūblicam tantā pāce, tantō ōtiō, tantō silentiō līberāssēmus.

(*ā*) tantīs perīculīs (*in*) tantā pāce...

....

29 Vōs, Quirītēs, quoniam iam est nox, venerātī Iovem illum cūstōdem huius urbis ac vestrum, in vestra tēcta discēdite et ea, quamquam iam est perīculum dēpulsum, tamen aequē ac priōre nocte cūstōdiīs vigiliīsque dēfendite! Id nē vōbīs diūtius faciendum sit, atque ut in perpetuā pāce esse possītis, prōvidēbō, Quirītēs.

aequē : eōdem modō

C. SALLVSTII CRISPI
DE CATILINAE CONIVRATIONE

[*Dē suppliciō coniūrātōrum*]

Post eum diem quīdam L. Tarquinius ad senātum adductus erat, 'quem ad Catilīnam proficīscentem ex itinere retractum' āiēbant. Is cum 'sē' dīceret 'indicātūrum dē coniūrātiōne, sī fidēs pūblica data esset', iussus ā cōnsule quae scīret ēdīcere, eadem ferē quae Volturcius dē parātīs incendiīs, dē caede bonōrum, dē itinere hostium senātum docet; praetereā 'sē missum ā M. Crassō, quī Catilīnae nūntiāret nē eum Lentulus et Cethēgus aliīque ex coniūrātiōne dēprehēnsī terrērent, eōque magis properāret ad urbem accēdere, quō et cēterōrum animōs reficeret et illī facilius ē perīculō ēriperentur.' 48

post eum diem = posterō diē (: prīdiē nōn. Dec.)
(*ōrātiō rēcta:*) "indicā*bō* dē coniūrātiōne sī *mihi* fidēs pūblica data *erit*"
'sī *sibi* fidēs pūblica data esset'
ē-dīcere = clārē dīcere
quī nūntiāret = ut nūntiāret
nē eum Lentulus et Cethēgus... dēprehēnsī terrērent : nē eum terrēret quod L. et C. ... dēprehēnsī essent
quō reficeret = ut reficeret
(animum) re-ficere = recreāre, cōnfirmāre

Sed ubi Tarquinius Crassum nōmināvit, hominem nōbilem māximīs dīvitiīs, summā potentiā, aliī rem incrēdibilem ratī, pars tametsī vērum exīstimābant, tamen quia in tālī tempore tanta vīs hominis magis lēniunda quam exagitanda vidēbātur, plērīque Crassō ex negōtiīs prīvātīs obnoxiī, conclāmant 'indicem falsum esse!' dēque eā rē postulant utī referātur. Itaque cōnsulente Cicerōne frequēns senātus dēcernit 'Tarquinī indicium falsum vidērī, eumque in vinculīs retinendum.' ...

aliī... pars... = aliī... aliī..
id vērum *esse* exīstimābant
tanta vīs hominis = tam potēns homō (*nōn* exagitan*dus sed* magis lēnien*dus*)
Crassō obnoxiī : quī Crassō multum dēbēbant
index -icis *m* = quī indicat; i. falsus : quī mentītur
referātur *ad senātum*

Dum haec in senātū aguntur, et dum lēgātīs Allobrogum et T. Volturciō, comprobātō eōrum indiciō, praemia dēcernuntur, lībertī et paucī ex clientibus Lentulī dīversīs itineribus opificēs atque servitia in vīcīs ad eum 50

com-probāre = vērum esse ostendere
lībertus Lentulī = lībertīnus quī Lentulī servus fuit

ēripiundum sollicitābant, partim exquīrēbant ducēs multitūdinum quī pretiō rem pūblicam vexāre solitī erant. Cethēgus autem per nūntiōs familiam atque lībertōs suōs lēctōs atque exercitātōs ōrābat ut grege factō cum tēlīs ad sēsē irrumperent.

Cōnsul ubi ea parārī cognōvit, dispositīs praesidiīs ut rēs atque tempus monēbat, convocātō senātū refert 'quid dē eīs fierī placeat quī in cūstōdiam trāditī erant.' (Sed eōs paulō ante frequēns senātus iūdicāverat 'contrā rem pūblicam fēcisse'.) Tum D. Sīlānus, prīmus sententiam rogātus, quod eō tempore cōnsul dēsignātus erat, 'dē eīs quī in cūstōdiīs tenēbantur et praetereā dē L Cassiō, P. Fūriō, P. Umbrēnō, Q. Anniō, sī dēprehēnsī forent, supplicium sūmundum' dēcrēverat – isque posteā, permōtus ōrātiōne C. Caesaris, 'pedibus in sententiam Ti. Nerōnis itūrum sē' dīxerat, quī dē eā rē praesidiīs additīs referundum cēnsuerat.

51 Sed Caesar, ubi ad eum ventum est, rogātus sententiam ā cōnsule huiusce modī verba locūtus est:

"Omnēs hominēs, patrēs cōnscrīptī, quī dē rēbus dubiīs cōnsultant, ab odiō, amīcitiā, īrā atque misericordiā vacuōs esse decet. Haud facile animus vērum prōvidet ubi illa officiunt, neque quisquam omnium libīdinī simul et ūsuī pāruit. Ubi intenderis ingenium, valet; sī libīdō possidet, ea dominātur, animus nihil valet.

"Magna mihi cōpia est memorandī, patrēs cōnscrīptī, quī rēgēs atque populī īrā aut misericordiā impulsī male cōnsuluerint; sed ea mālō dīcere quae māiōrēs nostrī

- multitūdinēs : turbae plēbis
- solitī erant : solēbant
- familiam : servōs
- lēctus = ēlēctus
- convocātō senātū: nōn. Dec. in aedem Concordiae
- supplicium sūmere dē aliquō = aliquem suppliciō afficere
- (pedibus) īre in sententiam alicuius = sententiam alicuius sequī, alicuī assentīrī
- dīxerat : dīxit
- *ad senātum* referendum *esse* cēnsuerat
- rogātus sententiam ā cōnsule = cum cōnsul eum sententiam rogāvisset
- vērum = rēctum, iūstum, quod rēctum/iūstum est
- quisquam omnium = quisquam omnīnō
- ūsus = ūtilitās (quod ūtile est)
- *tē* possidet
- cōpia (+*gen* -ndī) = occāsiō, facultās
- cōnsulere = cōnsultāre, cōnsilium capere

contrā libīdinem animī suī rēctē atque ōrdine fēcēre. Bellō Macedonicō, quod cum rēge Persē gessimus, Rhodiōrum cīvitās magna atque magnifica, quae populī Rōmānī opibus crēverat, īnfīda atque adversa nōbīs fuit; sed postquam bellō cōnfectō dē Rhodiīs cōnsultum est, māiōrēs nostrī, nē quis 'dīvitiārum magis quam iniūriae causā bellum inceptum' dīceret, impūnītōs eōs dīmīsēre. Item bellīs Pūnicīs omnibus, cum saepe Carthāginiēnsēs et in pāce et per indūtiās multa nefāria facinora fēcissent, numquam ipsī per occāsiōnem tālia fēcēre: magis quid sē dignum foret quam quid in illōs fierī posset quaerēbant.

"Hoc item vōbīs prōvidendum est, patrēs cōnscrīptī, nē plūs apud vōs valeat P. Lentulī et cēterōrum scelus quam vestra dignitās, neu magis īrae vestrae quam fāmae cōnsulātis. Nam sī digna poena prō factīs eōrum reperītur, novum cōnsilium approbō; sīn magnitūdō sceleris omnium ingenia exsuperat, eīs ūtendum cēnseō quae lēgibus comparāta sunt.

"Plērīque eōrum quī ante mē sententiās dīxērunt compositē atque magnificē cāsum reī pūblicae miserātī sunt. Quae bellī saevitia esset, quae victīs acciderent, ēnumerāvēre: 'rapī virginēs, puerōs, dīvellī līberōs ā parentum complexū, mātrēs familiārum patī quae victōribus collibuisset; fāna atque domōs spoliārī; caedem, incendia fierī; postrēmō armīs, cadāveribus, cruōre atque lūctū omnia complērī!' Sed, per deōs immortālēs, quō illa ōrātiō pertinuit? An utī vōs īnfēstōs coniūrātiōnī faceret?

ōrdine = ut fierī oportet

Persēs -ae *m, abl* -ē = Perseus
Rhodiī Rōmānōs contrā Perseum adiuvāre recūsāvērunt

cōn-sulere -uisse -sultum; cōnsultum est (ā senātū): senātus cōnsuluit

inceptum = coeptum *esse*

cum... fēcissent : etsī... fēcerant

ipsī : Rōmānī
per occāsiōnem = occāsiōne datā

reī (*dat*) cōn-sulere = cūram habēre dē rē, rem cūrāre
digna poena : iūsta poena
novum cōnsilium : supplicium capitis
ex-superāre = superāre
eīs *suppliciīs*
lēgēs cīvem Rōmānum capite pūnīrī vetābant
compositē = ōrdinātē, ēleganter

dī-vellere = āvellere

col-libēre = libēre

spoliāre = dīripere

cadāver -eris *n* = corpus mortuum

Scīlicet quem rēs tanta et tam atrōx nōn permōvit, eum ōrātiō accendet! Nōn ita est, neque cuiquam mortālium iniūriae suae parvae videntur, multī eās gravius aequō habuēre. Sed alia aliīs licentia est, patrēs cōnscrīptī. Quī dēmissī in obscūrō vītam habent, sī quid īrācundiā dēlīquērunt, paucī sciunt; fāma atque fortūna eōrum parēs sunt. Quī magnō imperiō praeditī in excelsō aetātem agunt, eōrum facta cūnctī mortālēs nōvēre. Ita in māximā fortūnā minima licentia est: neque studēre neque ōdisse, sed minimē īrāscī decet. Quae apud aliōs 'īrācundia' dīcitur, ea in imperiō 'superbia' atque 'crūdēlitās' appellātur.

suae : in sē (factae)
graviter ferre/habēre = aegrē ferre; gravius aequō : gravius quam aequum est
alia licentia est = alia facere licet; alia aliīs *alia aliīs*
obscūrum = obscūrus locus
īrācundia -ae *f* = mēns quae facile īrāscitur
parēs : aequē obscūrae
praeditus -a -um +*abl:* rē praeditus = rem habēns
excelsum = excelsus locus, dignitās (↔ obscūrum)
studēre : favēre
in imperiō : in iīs quī imperiō praeditī sunt

"Equidem ego sīc exīstimō, patrēs cōnscrīptī, omnēs cruciātūs minōrēs quam facinora illōrum esse. Sed plērīque mortālēs postrēma meminēre, et in hominibus impiīs sceleris eōrum oblītī dē poenā disserunt, sī ea paulō sevērior fuit.

in hominibus impiīs : cum dē hominibus impiīs agitur
paulō sevērior *solitō*

"D. Sīlānum, virum fortem atque strēnuum, certō sciō quae dīxerit studiō reī pūblicae dīxisse neque illum in tantā rē grātiam aut inimīcitiās exercēre: eōs mōrēs eamque modestiam virī cognōvī. Vērum sententiam eius mihi nōn crūdēlis – quid enim in tālēs hominēs crūdēle fierī potest? – sed aliēna ā rē pūblicā nostrā vidētur. Nam profectō aut metus aut iniūria tē subēgit, Sīlāne, cōnsulem dēsignātum, genus poenae novum dēcernere. Dē timōre supervacāneum est disserere, cum praesertim dīligentiā clārissimī virī cōnsulis tanta praesidia sint in armīs. Dē poenā possum equidem dīcere, id quod rēs

grātiam/inimīcitiās exercēre = grātiā/inimīcitiīs afficī
aliēna ā : abhorrēns ā, nōn conveniēns cum
iniūria *in rem pūblicam*
sub-igere -ēgisse -āctum = cōgere
supervacāneus -a -um ↔ necessārius
id quod rēs habet = rē vērā

aerumna -ae *f* = labor, dolor
requiēs -ētis *f, acc* -iem = quiēs
dis-solvere = abolēre, tollere

lēx Porcia 'dē tergō cīvium' vetat cīvem Rōmānum verberārī
cīvibus nōn animam ēripī iubent = cīvēs necārī vetant
exsilium permittere = in exsilium īre permittere

con-vincere/condemnāre + *gen:* facinor*is* convincere = facinor*is* condemnāre
quī *adv* = quōmodo

libīdō -inis *f* = quod fierī libet, voluntās, arbitrium
moderārī + *dat* = regere, gubernāre
quid : quod exemplum

eius : imperiī

ab dignīs (*poenā*) et idōneīs ad indignōs et nōn idōneōs : ab noxiīs ad īnsontēs

im-posuēre : praeposuērunt
(rem pūblicam) tractāre : administrāre
in-demnātum = nōn damnātum, sine iūdiciō
ea (: ea *fierī*) populus laetābātur et... dīcēbat
iūxtā *adv* : sine discrīmine
libīdinōsus -a -um < libīdō; *adv* -ē = ut libet
: interfici*ēbant,* terr*ēbant*
stultae laetitiae (*gen*) = prō stultā laetitiā

habet, 'in lūctū atque miseriīs mortem aerumnārum requiem, nōn cruciātum esse, eam cūncta mortālium mala dissolvere, ultrā neque cūrae neque gaudiō locum esse.' Sed, per deọs immortālēs, quam ob rem in sententiam nōn addidistī, utī prius verberibus in eōs animadverterētur? An quia lēx Porcia vetat? At aliae lēgēs item condemnātīs cīvibus nōn animam ēripī, sed exsilium permittī iubent. An quia gravius est verberārī quam necārī? Quid autem acerbum aut nimis grave est in hominēs tantī facinoris convictōs? Sīn quia levius est, quī convenit in minōre negōtiō lēgem timēre, cum eam in māiōre neglēxeris?

"At enim quis reprehendet quod in parricīdās reī pūblicae dēcrētum erit? Tempus, diēs, fortūna, cuius libīdō gentibus moderātur. Illīs meritō accidet quicquid ēvēnerit; cēterum vōs, patrēs cōnscrīptī, quid in aliōs statuātis, cōnsīderāte! Omnia mala exempla ex rēbus bonīs orta sunt. Sed ubi imperium ad ignārōs eius aut minus bonōs pervēnit, novum illud exemplum ab dignīs et idōneīs ad indignōs et nōn idōneōs trānsfertur.

"Lacedaemoniī dēvictīs Athēniēnsibus trīgintā virōs imposuēre, quī rem pūblicam eōrum tractārent. Eī prīmō coepēre pessimum quemque et omnibus invīsum indemnātum necāre; ea populus laetārī et 'meritō' dīcere 'fierī.' Post, ubi paulātim licentia crēvit, iūxtā bonōs et malōs libīdinōsē interficere, cēterōs metū terrēre. Ita cīvitās, servitūte oppressa, stultae laetitiae gravēs poenās dedit. Nostrā memoriā victor Sulla cum

Damasippum et aliōs eius modī, quī malō reī pūblicae crēverant, iugulārī iussit, quis nōn factum eius laudābat? 'Hominēs scelestōs et factiōsōs, quī sēditiōnibus rem pūblicam exagitāverant, meritō necātōs' āiēbant. Sed ea rēs magnae initium clādis fuit: nam utī quisque domum aut vīllam, postrēmō vās aut vestīmentum alicuius concupīverat, dabat operam ut is in prōscrīptōrum numerō esset. Ita illī quibus Damasippī mors laetitiae fuerat paulō post ipsī trahēbantur, neque prius fīnis iugulandī fuit quam Sulla omnēs suōs dīvitiīs explēvit!

Damasippus: Mariānus quī bellō cīvīlī amīcōs Sullae Rōmae interfēcit
ex-agitāre = vexāre
clādēs -is *f* = mala fortūna
bello cīvīlī *prōscrīptī* in exsilium pellēbantur aut impūne necābantur
laetitiae (*dat*) esse = laetitiam afferre
trahēbantur *ad supplicium*
suōs : sociōs, propinquōs

"Atque ego haec nōn in M. Tulliō neque hīs temporibus vereor; sed in magnā cīvitāte multa et varia ingenia sunt. Potest aliō tempore, aliō cōnsule, cui item exercitus in manū sit, falsum aliquid prō vērō crēdī; ubi hōc exemplō per senātūs dēcrētum cōnsul gladium ēdūxerit, quis illī fīnem statuet aut quis moderābitur?

in M. Tulliō : M. Tulliō *Cicerōne* cōnsule

"Māiōrēs nostrī, patrēs cōnscrīptī, neque cōnsilī neque audāciae umquam eguēre; neque illīs superbia obstābat, quōminus aliēna īnstitūta, sī modo proba erant, imitārentur. Arma atque tēla mīlitāria ab Samnītibus, īnsignia magistrātuum ab Tūscīs plēraque sūmpsērunt; postrēmō, quod ubīque apud sociōs aut hostēs idōneum vidēbātur, cum summō studiō exsequēbantur: imitārī quam invidēre bonīs mālēbant. Sed eōdem illō tempore, Graeciae mōrem imitātī, verberibus animadvertēbant in cīvēs, dē condemnātīs summum supplicium sūmēbant. Postquam rēs pūblica adolēvit et multitūdine cīvium factiōnēs valuēre, circumvenīrī innocentēs, alia huiusce

egēre -uisse +*gen/abl.*: reī egēre = rē egēre
quō-minus +*coni* = nē
īnsignia magistrātuum: ut fascēs et secūrēs
ex-sequī = appetere
imitārī *bonōs*
summum supplicium = supplicium capitis

coepēre : coepta sunt

exsilium : ut in exsilium īrent

causam quō-minus +*coni* : causam (ut) nē

modī fierī coepēre. Tum lēx Porcia aliaeque lēgēs parātae sunt, quibus lēgibus exsilium damnātīs permissum est. Hanc ego causam, patrēs cōnscrīptī, quōminus novum cōnsilium capiāmus, in prīmīs magnam putō. Profectō virtūs atque sapientia māior in illīs fuit quī ex parvīs opibus tantum imperium fēcēre quam in nōbīs quī ea bene parta vix retinēmus!

per mūnicipia : in variīs mūnicipiīs

"Placet igitur eōs dīmittī et augērī exercitum Catilīnae? Minimē. Sed ita cēnseō: *'pūblicandās eōrum pecūniās, ipsōs in vinculīs habendōs per mūnicipia quae māximē opibus valent; neu quis dē eīs posteā ad senātum referat nēve cum populō agat; quī aliter fēcerit, senātum exīstimāre eum contrā rem pūblicam et salūtem omnium factūrum'*."

verbō : sine multīs verbīs

ad-sentīrī +*dat* (aliī) = assentīrī

M. Porcius Catō, Caesaris adversārius, trib. pl. annō 62 a.C.

Postquam Caesar dicundī fīnem fēcit, cēterī verbō 52
alius aliī variē adsentiēbantur. At M. Porcius Catō rogātus sententiam huiusce modī ōrātiōnem habuit:

"Longē mihi alia mēns est, patrēs cōnscrīptī, cum rēs atque perīcula nostra cōnsīderō et cum sententiās nōnnūllōrum ipse mēcum reputō. Illī mihi disseruisse videntur dē poenā eōrum quī patriae, parentibus, ārīs atque focīs suīs bellum parāvēre; rēs autem monet cavēre ab illīs magis quam quid in illōs statuāmus cōnsultāre. Nam cētera maleficia tum persequāre ubi facta sunt; hoc nisi prōvīderis nē accidat, ubi ēvēnit frūstrā iūdicia implōrēs: captā urbe nihil fit reliquī victīs.

ārīs atque focīs : templīs atque domibus

quid : quam poenam

persequāre (= -*āris*) : persequī licet

nihil reliquī fit = nihil relinquitur, nihil restat

"Sed, per deōs immortālēs, vōs ego appellō, quī semper domōs, vīllās, signa, tabulās vestrās plūris quam

tabulās *pictās*

rem pūblicam fēcistis: sī ista, cuiuscumque modī sunt, quae amplexāminī retinēre, sī voluptātibus vestrīs ōtium praebēre vultis, expergīsciminī aliquandō et capessite rem pūblicam! Nōn agitur dē vectīgālibus neque dē sociōrum iniūriīs: lībertās et anima nostra in dubiō est.

“Saepe numerō, patrēs cōnscrīptī, multa verba in hōc ōrdine fēcī, saepe dē luxuriā atque avāritiā nostrōrum cīvium questus sum, multōsque mortālēs eā causā adversōs habeō. Quī mihi atque animō meō nūllīus umquam dēlictī grātiam fēcissem, haud facile alterīus libīdinī male facta condōnābam. Sed ea tametsī vōs parvī pendēbātis, tamen rēs pūblica fīrma erat: opulentia neglegentiam tolerābat.

“Nunc vērō nōn id agitur, bonīsne an malīs mōribus vīvāmus, neque quantum aut quam magnificum imperium populī Rōmānī sit, sed haec, cuiuscumque modī videntur, nostra an nōbīscum ūnā hostium futūra sint. Hīc mihi quisquam ‘mānsuētūdinem’ et ‘misericordiam’ nōminat? Iam prīdem equidem nōs vēra vocābula rērum āmīsimus: quia bona aliēna largīrī ‘līberālitās’, malārum rērum audācia ‘fortitūdō’ vocātur, eō res pūblica in extrēmō sita est. Sint sānē, quoniam ita sē mōrēs habent, ‘līberālēs’ ex sociōrum fortūnīs, sint ‘misericordēs’ in fūribus aerārī, nē illī sanguinem nostrum largiantur et, dum paucīs scelerātīs parcunt, bonōs omnēs perditum eant!

“Bene et compositē C. Caesar paulō ante in hōc ōrdine dē vītā et morte disseruit, crēdō falsa exīstimāns ea quae dē Īnferīs memorantur: ‘dīversō itinere malōs ā

(magnī/parvī/plūris/minōris) facere = aestimāre
cuius-cumque modī = quālia-cumque
amplexārī = amplectī, amāre
capessere -īvisse -ītum = suscipere; rem pūblicam c. = reī pūblicae operam dare
in dubiō : in perīculō
saepe numerō = saepe
in hōc ōrdine = in senātū
adversōs : adversāriōs
ego quī (: cum) ...
grātiam facere (+*gen*) = con-dōnāre = ignōscere
: alterī libīdinōsō male facta (= maleficia) condōnābam
(parvī) pendere = aestimāre
: neglegentia tolerābātur ob opulentiam
haec : omnia quae possidēmus
utrum nostra an...
ūnā nōbīs-cum
līberālitās -ātis *f* < *līberālis* = quī sua largītur
eō = ideō
in extrēmō = in summō perīculō
misericors -rdis *adi*
nē = dummodo nē
dīversō itinere : cum dīversō itinere discēdant

formīdolōsus -a -um = horribilis

bonīs loca taetra, inculta, foeda atque formīdolōsa habēre.' Itaque cēnsuit 'pecūniās eōrum pūblicandās, ipsōs per mūnicipia in cūstōdiā habendōs', vidēlicet timēns nē, sī Rōmae sint, aut ā populāribus coniūrātiōnis aut ā multitūdine conductā per vim ēripiantur – quasi vērō malī atque scelestī tantummodo in urbe et nōn per totam Italiam sint, aut nōn ibi plūs possit audācia ubi ad dēfendundum opēs minōrēs sunt. Quārē vānum equidem hoc cōnsilium est, sī perīculum ex illīs metuit; sīn in tantō omnium metū sōlus nōn timet, eō magis rēfert mē mihi atque vōbīs timēre. Quārē, cum dē P. Lentulō cēterīsque statuētis, prō certō habētōte vōs simul dē exercitū Catilīnae et dē omnibus coniūrātīs dēcernere. Quantō vōs attentius ea agētis, tantō illīs animus īnfīrmior erit; sī paululum modo vōs languēre vīderint, iam omnēs ferōcēs aderunt.

con-dūcere = mercēde addūcere ad aliquid faciendum

audācia : audācēs

rē-fert = opus est

languēre = iners/ignāvus esse

iam : continuō

"Nōlīte exīstimāre māiōrēs nostrōs armīs rem pūblicam ex parvā magnam fēcisse. Sī ita rēs esset, multō pulcherrimam eam nōs habērēmus, quippe sociōrum atque cīvium, praetereā armōrum atque equōrum māior cōpia nōbīs quam illīs est. Sed alia fuēre quae illōs magnōs fēcēre, quae nōbīs nūlla sunt: domī industria, forīs iūstum imperium, animus in cōnsulundō līber neque dēlictō neque libīdinī obnoxius. Prō hīs nōs habēmus luxuriam atque avāritiam, pūblicē egestātem, prīvātim opulentiam; laudāmus dīvitiās, sequimur inertiam; inter bonōs et malōs discrīmen nūllum; omnia virtūtis praemia ambitiō possidet. Neque mīrum: ubi vōs

multō +*sup* = longē

quippe = etenim

illīs : māiōribus nostrīs

(dēlictō/libīdinī) obnoxius = dēditus (: dēlinquēns/ libīdinōsus)

egestās ↔ opulentia

inertia -ae *f* (< iners) ↔ industria

discrīmen nūllum *fit*

sēparātim sibi quisque cōnsilium capitis, ubi domī voluptātibus, hīc pecūniae aut grātiae servītis, eō fit ut impetus fiat in vacuam rem pūblicam.

"Sed ego haec omittō. Coniūrāvēre nōbilissimī cīvēs patriam incendere, Gallōrum gentem īnfēstissimam nōminī Rōmānō ad bellum arcessunt; dux hostium cum exercitū suprā caput est: vōs cūnctāminī etiam nunc et dubitātis, quid intrā moenia dēprēnsīs hostibus faciātis? Misereāminī, cēnseō – 'dēlīquēre hominēs adulēscentulī per ambitiōnem!' – atque etiam armātōs dīmittātis! Nē ista vōbīs mānsuētūdō et misericordia, sī illī arma cēperint, in miseriam convertat! Scīlicet rēs ipsa aspera est, sed vōs nōn timētis eam – immō vērō māximē, sed inertiā et mollitiā animī alius alium exspectantēs cūnctāminī, vidēlicet dīs immortālibus cōnfīsī, quī hanc rem pūblicam saepe in māximīs perīculīs servāvēre. Nōn vōtīs neque suppliciīs muliebribus auxilia deōrum parantur: vigilandō, agundō, bene cōnsulundō prospera omnia cēdunt. Ubi socordiae tē atque ignāviae trādideris, nēquīquam deōs implōrēs: īrātī īnfēstīque sunt.

"Apud māiōrēs nostrōs T. Mānlius Torquātus bellō Gallicō fīlium suum, quod is contrā imperium in hostem pugnāverat, necārī iussit, atque ille ēgregius adulēscēns immoderātae fortitūdinis morte poenās dedit – vōs dē crūdēlissimīs parricīdīs quid statuātis cūnctāminī? Vidēlicet 'cētera vīta eōrum huic scelerī obstat' – vērum parcite dignitātī Lentulī, sī ipse pudīcitiae, sī fāmae suae, sī dīs aut hominibus umquam ūllīs pepercit!

sēparātim = sēcrētō, per sē
hīc : in senātū
servītis : obnoxiī estis
: ut patriam incenderent
dē-prēndere -prēndisse -prēnsum = -prehendere -prehendisse -prehēnsum
nē : *utinam* nē...
convertat = *sē* convertat
mollitia -ae *f* < mollis; m. animī : ignāvia, socordia
cōnfīsus = cōnfīdēns
supplicia -ōrum *n* = supplicātiōnēs
cēdunt : ēveniunt
(socordiae/ignaviae) sē trādere = servīre, obnoxius esse
[annō 340 a.C., v. LL cap. 31.121-123]
: prō im-moderātā fortitūdine
ob-stāre + *dat* = differre ab, abhorrēre ab
: parcite Lentulō ob dignitātem...!
parcere pepercisse parsum

: ignōscite Cethēgō ob adulēscentiam!
iterum: is etiam priōris coniūrātiōnis socius fuit
nihil iīs pēnsī est = nihil pēnsī habent

ignōscite Cethēgī adulēscentiae, nisi iterum patriae bellum fēcit! Nam quid ego dē Gabīniō, Statiliō, Caepāriō loquar? quibus sī quicquam umquam pēnsī fuisset, nōn ea cōnsilia dē rē pūblicā habuissent.

sī peccātō locus esset : sī locus esset peccātī (errōris) corrigendī

"Postrēmō, patrēs cōnscrīptī, sī mehercule peccātō locus esset, facile paterer vōs ipsā rē corrigī, quoniam verba contemnitis. Sed undique circumventī sumus, Catilīna cum exercitū faucibus urget, aliī intrā moenia atque in sinū urbis sunt hostēs, neque parārī neque cōnsulī quicquam potest occultē: quō magis properandum est.

faucibus urget : nōs dēvorāre (absūmere) avet
in sinū urbis : in mediā urbe

"Quārē ego ita cēnseō: *Cum nefāriō cōnsiliō scelerātōrum cīvium rēs pūblica in māxima perīcula vēnerit, eīque indiciō T. Volturcī et lēgātōrum Allobrogum convictī cōnfessīque sint caedem, incendia aliaque sē foeda atque crūdēlia facinora in cīvēs patriamque parāvisse, dē cōnfessīs, sīcutī dē manifēstīs rērum capitālium, mōre māiōrum supplicium sūmundum.*"

manifēstus (= noxius) + *gen*
sūmendum *esse*

Postquam Catō adsēdit, cōnsulārēs omnēs itemque 53
senātūs magna pars sententiam eius laudant, virtūtem animī ad caelum ferunt; aliī aliōs increpantēs 'timidōs!' vocant. Catō clārus atque magnus habētur. Senātī dēcrētum fit sīcutī ille cēnsuerat.

ad caelum ferre (laudibus) = valdē laudāre

– Sed mihi multa legentī, multa audientī quae populus Rōmānus domī mīlitiaeque, marī atque terrā praeclāra facinora fēcit, forte libuit attendere quae rēs māximē tanta negōtia sustinuisset. Sciēbam saepe numerō parvā manū cum magnīs legiōnibus hostium contendisse, cognōveram parvīs cōpiīs bella gesta cum opulentīs

multa legentī/audientī : dum multa legō/audiō
mihi ... libuit attendere
negōtium sustinēre = fundāmentum/causa esse negōtiī
legiōnibus : exercitibus
Rōmānōs contendisse

rēgibus, ad hoc saepe fortūnae violentiam tolerāvisse, fācundiā Graecōs, glōriā bellī Gallōs ante Rōmānōs fuisse. Ac mihi multa agitantī cōnstābat paucōrum cīvium ēgregiam virtūtem cūncta patrāvisse, eōque factum utī dīvitiās paupertās, multitūdinem paucitās superāret. Sed postquam luxū atque dēsidiā cīvitās corrupta est, rūrsus rēs pūblica magnitūdine suā imperātōrum atque magistrātuum vitia sustentābat ac, sīcutī esset effēta pariendō, multīs tempestātibus haud sānē quisquam Rōmae virtūte magnus fuit. Sed memoriā meā ingentī virtūte, dīversīs mōribus fuēre virī duo, M. Catō et C. Caesar. Quōs quoniam rēs obtulerat, silentiō praeterīre nōn fuit cōnsilium, quīn utrīusque nātūram et mōrēs, quantum ingeniō possem, aperīrem.

54 Igitur eīs genus, aetās, ēloquentia prope aequālia fuēre, magnitūdō animī pār, item glōria, sed alia aliī. Caesar beneficiīs ac mūnificentiā magnus habēbātur, integritāte vītae Catō. Ille mānsuētūdine et misericordiā clārus factus, huic sevēritās dignitātem addiderat. Caesar dandō, sublevandō, ignōscundō, Catō nihil largiundō glōriam adeptus est. In alterō miserīs perfugium erat, in alterō malīs perniciēs. Illīus facilitās, huius cōnstantia laudābātur. Postrēmō Caesar in animum indūxerat labōrāre, vigilāre, negōtiīs amīcōrum intentus sua neglegere, nihil dēnegāre quod dōnō dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptābat, ubi virtūs ēnitēscere posset. At Catōnī studium modestiae, decoris, sed māximē sevēritātis erat. Nōn dīvitiīs cum dīvite

Rōmānōs tolerāvisse
fācundia -ae *f* (< fācundus) = ēloquentia
ante Rōmānōs fuisse = Rōmānīs superiōrēs fuisse
agitāre (animō) = cōgitāre
: utī dīvitēs (Graecōs) pauperēs (Rōmānī), multōs paucī superārent
paupertās -ātis *f* ↔ dīvitiae
paucitās -ātis *f* ↔ multitūdō (< pauper/paucī)

sustentābat : tolerābat
sīc-utī : quasi
effētus -a -um: (mulier) effēta = partū fatīgāta

: quōs quoniam rēs (: haec nārrātiō) *nōbīs* obtul*it* (*nōscendōs*)
nōn *mihi* fuit cōnsilium
quīn + *coni* = ut nōn

aequālis -e = aequus
alia aliī : altera alterī
mūnificentia -ae *f* = līberālitās, largītiō
integritās -ātis *f* (< integer) = innocentia
clārus factus *est*
sub-levāre = adiuvāre

perniciēs = exitium
in animum in-dūcere = sibi prōpōnere, cōnstituere


dē-negāre = negāre, dare nōlle; d. *amīcīs*
ē-nitēscere -tuisse = effulgēre

factiō = studium factiōnum

neque factiōne cum factiōsō, sed cum strēnuō virtūte, cum modestō pudōre, cum innocente abstinentiā certābat. Esse quam vidērī bonus mālēbat: ita, quō minus petēbat glōriam, eō magis illum sequēbātur. –

in sententiam īre/discēdere : sententiae assentīre
optimum factū *esse* ratus (: arbitrātus)
īn-stāre = prope adesse
(rēs) novāre = statum reī pūblicae commūtāre
trēs-virī *capitālēs* Carcerem cūstōdiendum et supplicia sūmenda cūrābant

Postquam, ut dīxī, senātus in Catōnis sententiam dis- 55
cessit, cōnsul optimum factū ratus noctem quae īnstābat
antecapere, nē quid eō spatiō novārētur, trēsvirōs quae
ad supplicium postulābantur parāre iubet; ipse, prae-
sidiīs dispositīs, Lentulum in Carcerem dēdūcit; idem fit
cēterīs per praetōrēs.




fornix -icis *m* = arcus lapideus

humī dē-pressus = sub terrā situs
īn-super *adv* = suprā
camera -ae *f* = tēctum arcuātum
incultus -ūs *m* = status incultus/neglēctus, sordēs
vindex -icis *m* < quī vindicat; vindicēs rērum capitālium = trēsvirī capitālēs
gula -ae *f* = collum interius, iugulum
exitus vītae : mors

Est in Carcere locus, quod Tulliānum appellātur, ubi paululum ascenderis ad laevam, circiter duodecim pedēs humī dēpressus. Eum mūniunt undique parietēs atque īnsuper camera lapideīs fornicibus iūncta; sed incultū, tenebrīs, odōre foeda atque terribilis eius faciēs est. In eum locum postquam dēmissus est Lentulus, vindicēs rērum capitālium, quibus praeceptum erat, laqueō gulam frēgēre. Ita ille patricius ex gente clārissimā Cornēliōrum, quī cōnsulāre imperium Rōmae habuerat, dignum mōribus factīsque suīs exitum vītae invēnit. Dē Cethēgō, Statiliō, Gabīniō, Caepāriō eōdem modō supplicium sūmptum est.

Carcer



[Dē bellō Catilīnāriō]

56 Dum ea Rōmae geruntur, Catilīna ex omnī cōpiā quam et ipse addūxerat et Mānlius habuerat duās legiōnēs īnstituit; cohortēs prō numerō mīlitum complet. Deinde, ut quisque voluntārius aut ex sociīs in castra vēnerat, aequāliter distribuerat, ac brevī spatiō legiōnēs numerō hominum explēverat, cum initiō nōn amplius duōbus mīlibus habuisset. Sed ex omnī cōpiā circiter pars quārta erat mīlitāribus armīs īnstrūcta; cēterī, ut quemque cāsus armāverat, sparōs aut lanceās, aliī praeacūtās sudēs portābant.

Sed postquam Antōnius cum exercitū adventābat, Catilīna per montēs iter facere; modo ad urbem, modo ad Galliam versus castra movēre, hostibus occāsiōnem pugnandī nōn dare: spērābat propediem magnās cōpiās sēsē habitūrum, sī Rōmae sociī incepta patrāvissent. Intereā servitia repudiābat, cuius initiō ad eum magnae cōpiae concurrēbant, opibus coniūrātiōnis frētus, simul aliēnum suīs ratiōnibus exīstimāns vidērī causam cīvium cum servīs fugitīvīs commūnicāvisse.

57 Sed postquam in castra nūntius pervēnit 'Rōmae coniūrātiōnem patefactam, dē Lentulō et Cethēgō cēterīsque (quōs suprā memorāvī) supplicium sūmptum', plērīque, quōs ad bellum spēs rapīnārum aut novārum rērum studium illēxerat, dīlābuntur; reliquōs Catilīna per montēs asperōs magnīs itineribus in agrum Pistōriēnsem abdūcit eō cōnsiliō utī per trāmitēs occultē perfugeret in Galliam Trānsalpīnam.

Catilīnārius -a -um < Catilīna

prō numerō = ut numerus erat

ex sociīs *coniūrātiōnis*

aequāliter = aequē (per singulās cohortēs)

iūstō numerō (sēnīs mīlibus)

cum... habuisset = etsī... habuerat

cāsus = occāsiō

sparus -ī *m* = pīlum vēnātōris

prae-acuere -uisse -ūtum = prīmum acūtum facere

sudis -is *f* = pālus tenuis

: faci*ēbat*

: movē*bat*

: da*bat*

cuius : quōrum

aliēnum suīs ratiōnibus = aliēnum (: abhorrēns) *ā* suīs ratiōnibus (: cōnsiliīs)

dīlābuntur : clam discēdunt

Pistōriēnsis -e < Pistōria, oppidum Etrūriae

trāmes -itis *m* = via angusta, callis

At Q. Metellus Celer cum tribus legiōnibus in agrō Pīcēnō praesidēbat, ex difficultāte rērum eadem illa exīstimāns quae suprā dīximus Catilīnam agitāre. Igitur, ubi iter eius ex perfugīs cognōvit, castra properē mōvit ac sub ipsīs rādīcibus montium cōnsēdit, quā illī dēscēnsus erat in Galliam properantī. Neque tamen Antōnius procul aberat, utpote quī magnō exercitū locīs aequiōribus expedītus impedītōs in fugā sequerētur. Sed Catilīna, postquam videt montibus atque cōpiīs hostium sēsē clausum, in urbe rēs adversās, neque fugae neque praesidī ūllam spem, optimum factū ratus in tālī rē fortūnam bellī temptāre statuit cum Antōniō quam prīmum cōnflīgere. Itaque cōntiōne advocātā huiusce modī ōrātiōnem habuit:

“Compertum ego habeō, mīlitēs, verba virtūtem nōn 58
addere neque ex ignāvō strēnuum neque fortem ex timidō exercitum ōrātiōne imperātōris fierī. Quanta cuiusque animō audācia nātūrā aut mōribus inest, tanta in bellō patēre solet. Quem neque glōria neque perīcula excitant, nēquīquam hortēre: timor animī auribus officit. Sed ego vōs quō pauca monērem advocāvī, simul utī causam meī cōnsilī aperīrem.

“Scītis equidem, mīlitēs, socordia atque ignāvia Lentulī quantam ipsī nōbīsque clādem attulerit, quōque modō, dum ex urbe praesidia opperior, in Galliam proficīscī nequīverim. Nunc vērō, quō locō rēs nostrae sint, iūxtā mēcum omnēs intellegitis: Exercitūs hostium duo, ūnus ab urbe, alter ā Galliā obstant. Diūtius in hīs locīs

prae-sidēre = exercituī praeesse

eius : Catilīnae

dēscēnsus -ūs *m* < dēscendere; illī d. erat = illī dēscendendum erat

utpote = scīlicet, quippe quī... sequerētur : ut... s.
expedītus ↔ impedītus

ignāvus -a -um ↔ strēnuus

patēre : appārēre
hortēre = hortēris (*eum* quem...)
of-ficere + *dat* = obstruere
quō... monērem = ut... monērem
meī cōnsilī : cum Antōniō proeliō cōnflīgendī

quō-que modō... : et quō modō factum sit ut... nequīverim (= nōn potuerim)

quō locō : in quō perīculō, quam difficilēs
iūxtā = aequē; i. mēcum : tam bene quam ego

esse, sī māximē animus ferat, frūmentī atque aliārum rērum egestās prohibet. Quōcumque īre placet, ferrō iter aperiundum est. Quāpropter vōs moneō, utī fortī atque parātō animō sītis et, cum proelium inībitis, memineritis vōs dīvitiās, decus, glōriam, praettereā lībertātem atque patriam in dextrīs vestrīs portāre. Sī vincimus, omnia nōbīs tūta erunt, commeātūs abundē, mūnicipia atque colōniae patēbunt. Sī metū cesserimus, eadem illa adversa fient, neque locus neque amīcus quisquam teget quem arma nōn tēxerint. Praettereā, mīlitēs, nōn eadem nōbīs et illīs necessitūdō impendet: nōs prō patriā, prō lībertāte, prō vītā certāmus; illīs supervacāneum est prō potentiā paucōrum pugnāre. Quō audācius aggrediminī, memorēs prīstinae virtūtis!

sī : etiam sī
ferat : (nōs) impellat
quā-propter = quam ob rem
adversa : contrāria
tegere = prō-tegere
quō audācius = itaque eō audācius

"Licuit vōbīs cum summā turpitūdine in exsiliō aetātem agere; potuistis nūnnūllī Rōmae, āmissīs bonīs, aliēnās opēs exspectāre: quia illa foeda atque intoleranda virīs vidēbantur, haec sequī dēcrēvistis. Sī haec relinquere vultis, audāciā opus est: nēmō nisi victor pāce bellum mūtāvit. Nam in fugā salūtem spērāre, cum arma quibus corpus tegitur ab hostibus āverteris, ea vērō dēmentia est. Semper in proeliō eīs māximum est perīculum quī māximē timent; audācia prō mūrō habētur.

in-tolerandus -a -um = nōn tolerandus
haec : mea cōnsilia (: bellum cīvīle)
pāce bellum mūtāre : prō bellō pācem habēre
prō mūrō : tamquam mūrus

"Cum vōs cōnsīderō, mīlitēs, et cum facta vestra aestimō, magna mē spēs victōriae tenet. Animus, aetās, virtūs vestra mē hortantur, praettereā necessitūdō, quae etiam timidōs fortēs facit. Nam multitūdō hostium nē circumvenīre queat, prohibent angustiae locī. Quod sī

angustiae locī prohibent nē multitūdō hostium *nōs* circumvenīre queat (= possit)

virtūtī vestrae fortūna invīderit, cavēte inultī animam āmittātis neu captī potius sīcutī pecora trucīdēminī quam virōrum mōre pugnantēs cruentam atque lūctuōsam victōriam hostibus relinquātis!"

Haec ubi dīxit, paululum commorātus signa canere 59
iubet atque īnstrūctōs ōrdinēs in locum aequum dēdūcit. Dein, remōtīs omnium equīs, quō mīlitibus exaequātō perīculō animus amplior esset, ipse pedes exercitum prō locō atque cōpiīs īnstruit. Nam utī plānitiēs erat inter sinistrōs montēs et ab dextrā rūpēs asperās, octō cohortēs in fronte cōnstituit, reliquārum signa in subsidiō artius collocat. Ab eīs centuriōnēs, omnēs lēctōs et ēvocātōs, praetereā ex gregāriīs mīlitibus optimum quemque armātum in prīmam aciem subdūcit. C. Mānlium in dextrā, Faesulānum quendam in sinistrā parte cūrāre iubet; ipse cum lībertīs et cālōnibus propter aquilam adsistit, quam bellō Cimbricō C. Marius in exercitū habuisse dīcēbātur.

At ex alterā parte C. Antōnius, pedibus aeger, quod proeliō adesse nequībat, M. Petrēiō lēgātō exercitum permittit. Ille cohortēs veterānās, quās tumultūs causā cōnscrīpserat, in fronte, post eās cēterum exercitum in subsidiīs locat. Ipse equō circumiēns ūnum quemque nōmināns appellat, hortātur, rogat 'ut meminerint sē contrā latrōnēs inermēs prō patriā, prō līberīs, prō ārīs atque focīs certāre.' Homō mīlitāris, quod amplius annōs trīgintā tribūnus aut praefectus aut lēgātus aut praetor cum magnā glōriā in exercitū fuerat, plērōsque

invīderit : praemium (victōriam) negāverit
cavēte *nē* inultī animam (vītam) āmittātis!
lūctuōsus -a -um (< lūctus) = lūctūs plēnus

quō... amplior esset = ut... eō amplior (māior) esset
prō locō/cōpiīs : ut locus/cōpiae postulābant
plānitiēs -ēī *f* = campus plānus (aequus)

reliquārum signa : reliquās cohortēs
ēvocātus = iterum ad mīlitiam ēvocātus, *veterānus*
gregārius -a -um < grex; mīles gregārius = quī aliīs praefectus nōn est

cūrāre : imperāre

cālō -ōnis *m* = servus mīlitis
propter = prope
ad-sistere = prope cōnsistere

ne-quīre, *imperf* -ībat
proeliō adesse = in proeliō adesse
permittere = committere
veterānus -a -um (< vetus) = quī anteā mīlitāvit, expertus; *m* ↔ tīrō

amplius *quam* annōs XXX

praefectus (auxiliōrum)

praetor : prō-praetor (imperātor)

ipsōs factaque eōrum fortia nōverat; ea commemorandō mīlitum animōs accendēbat.

60 Sed ubi, omnibus rēbus explōrātīs, Petrēius tubā signum dat, cohortēs paulātim incēdere iubet. Idem facit hostium exercitus. Postquam eō ventum est unde ā ferentāriīs proelium committī posset, māximō clāmōre cum īnfēstīs signīs concurrunt; pīla omittunt, gladiīs rēs geritur. Veterānī prīstinae virtūtis memorēs comminus ācriter īnstāre, illī haud timidī resistunt. Māximā vī certātur.

ferentārius -ī *m* = mīles leviter armātus

com-minus *adv* (< com- + manus) : gladiīs

: īnst*ant*

Intereā Catilīna cum expedītīs in prīmā aciē versārī, labōrantibus succurrere, integrōs prō sauciīs arcessere, omnia prōvidēre, multum ipse pugnāre, saepe hostem ferīre: strēnuī mīlitis et bonī imperātōris officia simul exsequēbātur.

: versā*bātur*, succurr*ēbat*...

labōrāns : auxiliō egēns

Petrēius ubi videt Catilīnam, contrā ac ratus erat, magnā vī tendere, cohortem praetōriam in mediōs hostēs indūcit eōsque perturbātōs atque aliōs alibī resistentēs interficit; deinde utrimque ex lateribus cēterōs aggreditur. Mānlius et Faesulānus in prīmīs pugnantēs cadunt. Catilīna, postquam fūsās cōpiās sēque cum paucīs relictum videt, memor generis atque prīstinae suae dignitātis in cōnfertissimōs hostēs incurrit ibique pugnāns cōnfoditur.

tendere = contendere

cohors praetōria: mīlitēs ēlēctī quī imperātōrem cūstōdiunt

aliōs alibī, *aliōs alibī*

in prīmīs *ōrdinibus* pugnantēs

61 Sed cōnfectō proeliō tum vērō cernerēs quanta audācia quantaque animī vīs fuisset in exercitū Catilīnae. Nam ferē quem quisque vīvus pugnandō locum cēperat, eum āmissā animā corpore tegēbat. Paucī autem, quōs

ferē : paene

locum quem quisque... pugnandō *dat* = ad pugnandum

dīversē = dīversīs locīs

vulnus adversum : in pectore

etiam *tum*
ferōcia -ae *f* = ferōcitās

ingenuus -a -um = līberīs parentibus nātus
: suae nōn magis quam hostium vītae pepercerant

in-cruentus -a -um

vīsere = vīsum īre, aspicere

hostīlia cadāvera = cadāvera hostium
aliī..., pars... = aliī..., aliī...

mediōs cohors praetōria disiēcerat, paulō dīversius, sed omnēs tamen adversīs vulneribus conciderant. Catilīna vērō longē ā suīs inter hostium cadāvera repertus est, paululum etiam spīrāns ferōciamque animī quam habuerat vīvus in vultū retinēns. Postrēmō ex omnī cōpiā neque in proeliō neque in fugā quisquam cīvis ingenuus captus est: ita cūnctī suae hostiumque vītae iūxtā pepercerant!

Neque tamen exercitus populī Rōmānī laetam aut incruentam victōriam adeptus erat; nam strēnuissimus quisque aut occiderat in proeliō aut graviter vulnerātus discesserat. Multī autem, quī ē castrīs vīsundī aut spoliandī grātiā prōcesserant, volventēs hostīlia cadāvera amīcum aliī, pars hospitem aut cognātum reperiēbant; fuēre item quī inimīcōs suōs cognōscerent. Ita variē per omnem exercitum laetitia, maeror, lūctus atque gaudia agitābantur.

M. TVLLII CICERONIS
PRO M. CAELIO ORATIO
habita ad iūdicēs annō DCXCVIII a. u. c.

M. Caelius *Rūfus*, quī adulēscēns Catilīnae cōnsulātum petentī studuit, dē vī reus ā Cicerōne dēfēnsus est annō 56 a.C.

[*Dē nātūrā Catilīnae*]

12 At studuit Catilīnae, cum iam aliquot annōs esset in forō, Caelius! Et multī hoc idem ex omnī ōrdine atque ex omnī aetāte fēcērunt. Habuit enim ille, sīcutī meminisse vōs arbitror, permulta māximārum nōn expressa signa sed adumbrāta virtūtum.

in forō esse : arte ōrātōriā exercitārī

permulta signa māximārum virtūtum nōn expressa... ex-pressus = plānus, vērus adumbrātus = in speciem fictus, simulātus

Ūtēbātur hominibus improbīs multīs – et quidem optimīs sē virīs dēditum esse simulābat! Erant apud illum illecebrae libīdinum multae – erant etiam industriae quīdam stimulī ac labōris! Flagrābant vitia libīdinis apud illum – vigēbant etiam studia reī mīlitāris!

ūtī (aliquō) = familiāriter vīvere (cum aliquō)

stimulus -ī *m* (+ *gen*) = quod stimulat (ad...)

Neque ego umquam fuisse tāle mōnstrum in terrīs ūllum putō, tam ex contrāriīs dīversīsque atque inter sē pugnantibus nātūrae studiīs cupiditātibusque cōnflātum!

13 Quis clāriōribus virīs quōdam tempore iūcundior – quis turpiōribus coniūnctior? Quis cīvis meliōrum partium aliquandō – quis taetrior hostis huic cīvitātī? Quis in voluptātibus inquinātior – quis in labōribus patientior? quis in rapācitāte avārior – quis in largītiōne effūsior?

quis... *fuit?* (nēmō!)

bonārum partium esse : bonīs partibus (optimātibus) studēre

inquinātus = sordidus rapācitās -ātis *f* < *rapāx* -ācis *adi* = rapīnae avidus effūsus -a -um = immoderātus, profūsus

Illa vērō, iūdicēs, in illō homine admīrābilia fuērunt: comprehendere multōs amīcitiā, tuērī obsequiō; cum omnibus commūnicāre quod habēbat; servīre temporibus suōrum omnium pecūniā, grātiā, labōre corporis, scelere etiam, sī opus esset, et audāciā; versāre suam

tuērī = servāre (sibi) obsequium -ī *n* < obsequī

servīre temporibus suōrum = suīs (sociīs) servīre temporibus adversīs

scelere et audāciā : scelere audācī

torquēre -rsisse -rtum = circum vertere
remissus -a -um = quī sine cūrā est, laetus
facinorōsus -a -um (< facinus) = scelestus
luxuriōsus -a -um < luxuria
multi-plex -icis ↔ simplex

nātūram et regere ad tempus atque hūc et illūc torquēre ac flectere; cum trīstibus sevērē, cum remissīs iūcundē, cum senibus graviter, cum iuventūte cōmiter, cum facinorōsīs audāciter, cum libīdinōsīs luxuriōsē vīvere!

Hāc ille tam variā multiplicīque nātūrā cum omnēs 14
omnibus ex terrīs hominēs improbōs audācēsque collēgerat, tum etiam multōs fortēs virōs et bonōs speciē quādam virtūtis adsimulātae tenēbat. Neque umquam ex illō dēlendī huius imperī tam cōnscelerātus impetus exstitisset, nisi tot vitiōrum tanta immānitās quibusdam facilitātis et patientiae rādīcibus nīterētur.

ad-simulāre = simulāre; ad-simulātus = fictus
immānitās -ātis *f* < immānis; tot vitiōrum tanta i. : tot et tanta vitia immānia

condiciō : argūmentum
re-spuere = repudiāre
crīmen haereat *in Caeliō;* crīmen haeret in aliquō = aliquis accūsātur

Quārē ista condiciō, iūdicēs, respuātur, nec Catilīnae familiāritātis crīmen haereat; est enim commūne cum multīs – et cum quibusdam bonīs. Mē ipsum, mē, inquam, quondam paene ille dēcēpit, cum et cīvis mihi bonus et optimī cuiusque cupidus et firmus amīcus ac fīdēlis vidērētur! Cuius ego facinora oculīs prius quam opīniōne, manibus ante quam suspīciōne dēprēndī.

magis est ut... : magis (causa) est quod...
mē errōris meī paenitet = mē errāsse molestē ferō
re-formīdāre (< formīdō) = formīdāre, timēre

Cuius in magnīs catervīs amīcōrum sī fuit etiam Caelius, magis est ut ipse molestē ferat errāsse sē – sīcutī nōnnumquam in eōdem homine mē quoque errōris meī paenitet! – quam ut istīus amīcitiae crīmen reformīdet.

INDEX VOCABVLORVM

A
ab-dicāre 43, 51, 52
abiectus 48
ab-iūrāre 16
absconditus -a -um 45
ab-solvere 6
absolūtiō -ōnis *f* 48
abstinentia -ae *f* 6, 66
absurdus -a -um 5, 16
ab-ūtī 20
aciēs -ēī *f* 21
āctor -ōris *m* 5
ad hoc 8, 10, 13, 16, 18, 19, 36, 41, 65
ad-eō 22, 24, 38
adeps -ipis *f* 52
ad-ferre ad-lātum 18, 31, 42
ad-/af-flīctāre 19, 34
ad-fluere 37
ad-hibēre 28
ad-nuere 49
ad-scīscere 15, 43
ad-sentīrī 60
ad-servāre 28
ad-sequī 7
ad-sīdere 36, 64
ad-simulāre 74
ad-sistere 70
adulēscentulus -ī *m* 6, 26, 63
ad-umbrāre 73
ad-vesperāscere 46
aequālis -e 65, *adv* -iter 67
aerumna -ae *f* 58
aes aliēnum 7, 9, 12, 15, 38, 39
aestuāre 15
aestus -ūs *m* 34
ad-fluere 37
afflīctāre 34
agere (cum) 11, 28
ag-gregāre 34
agitāre (mente) 11, 14, 39, 63, 45, 72
algor -ōris *m* 7
aliēnum -i *n* 7
aliquō *adv* 27
ambitiō -ōnis *f* 6, 62, 65
ambitus -ūs *m* 10
āmentia -ae *f* 23, 31
amplexārī 61
animadvertere in 33, 58, 59
ante-capere 36, 66
arduus -a -um 5
argūmentum -ī *n* 50
aspectus -ūs *m* 27
aspernārī 6
astūtia -ae *f* 16
atrōcitās -ātis *f* 14
at-tendere 29, 64
at-terere -trīvisse -trītum 9
at-tribuere 51
B
bacchārī 31
bene-volentia -ae *f* 44
bipertītō *adv* 46
C
cadāver -eris *n* 56, 72
calamitōsus -a -um 43
cālōnēs -um *m pl* 70
calumnia -ae *f* 18
camera -ae *f* 66
capessere 61
capitālis -e 37, 64, 66
captāre 11
carptim 6
castrēnsis -e 52
cervīx -īcis *f* 52
circiter *prp* + *acc* 9, 10
circum-clūdere 23
circum-ferre 14
circum-venīre 9, 59
circum-stāre 30, 34
cliēns -entis *m* 16, 54
co-aequāre 12
co-arguere 43
cognōscere 43, 48, 49; (causam) 39
co-hortārī 11, 14, 41
col-libēre 56
colōnia -ae *f* 10, 17, 23, 69
comminus *adv* 71
com-mittere 15, 26; c. ut 53
commodāre 9
compertus -a -um 14; -um habēre 18, 68
competītor -ōris *m* 25
compositē 56, 61
com-probāre 54
cōnātus -ūs *m* 25
con-cutere -iō -cussisse -cussum 15
condiciō -ōnis *f* 11, 13, 44, 74
con-dōnāre 61
con-dūcere 62
cōn-flāre 7, 15, 30, 31, 73
cōn-fodere 17, 71
cōnscelerātus -a -um 52, 74
cōnscientia -ae *f* 7, 8, 27, 48, 49
cōnscius -a -um (+*gen*) 8, 14, 16, 37, 38
cōnsēnsiō -ōnis *f* 35
cōn-stringere 20
cōnsuētūdō -inis *f* 14
cōnsulere -uisse -sultum 55, 56, 63
contāmināre 33
contentiō -ōnis *f* 37
con-terere 6
con-tinēre 30
continuāre 12
contrōversia -ae *f* 48
co-operīre 14
cōpia -ae *f* 10, 55
cor-rōborāre 34
corruptēla -ae *f* 26
crēdibilis -e 7
crēditum -ī *n* 16
cultus -ūs *m* 43
cumulāre 26
cūstōdia (libera) *f* 28, 43, 62
D
dēclīnātiō -ōnis *f* 27
dē-gustāre 14
dēmentia -ae *f* 39, 69
dē-negāre 65
dē-poscere 51
dē-precārī 32
dē-prēndere -prēndisse -prēnsum 63
dē-relinquere 31
dēscēnsus -ūs *m* 68
dē-scrībere 47
dēsidia -ae *f* 6, 65
dē-stringere 44
dē-testārī 32
dē-tinēre 6
dē-vovēre 27
dī-lābī 67
dī-lūcēscere 46
dīreptiō -ōnis *f* 28
dis-simulāre 33, 36, 42, 43
dissimulātor -ōris *m* 7
dissolūtus -a -um 21
dis-solvere 58
dī-vellere 56
dubitāre + *īnf* 8, 25, 27, 29
dubium: in dubiō 61
dūcere 6, (gladium) 46
ductāre 10
duint 30
dum + *coni* 7, 8, 39
E
ec-quid 50
ē-dere 19
ē-dīcere 54
ē-docēre 9, 41
effētus -a -um 65
effrēnātus -a -um 20, 31
effūsus -a -um 73
egēre + *gen* 59
egestās -ātis *f* 8, 12, 13, 17, 62, 69
ē-morī 12
ē-nitēscere 65
ē-nūntiāre 17
eō *adv* (ideō) 11, 14, 61, 63
ēvocātus -ī *m* 70
ē-vocātor -ōris *m* 32
ex-aequāre + *dat* 6
ex-agitāre 18, 54, 59
excelsum -ī *n* 57
ex-ciēre -cīvisse -citum 8
exitium -ī *n* 24, 25, 35, 53
ex-optāre 9, 38, 65
ex-ōrnāre 37
ex-pedīre 12
ex-primere -pressisse -pressum 73
ex-pūrgāre 19
exsanguis -e 8
exsecrātiō -ōnis *f* 14
ex-sistere -stitisse 26, 28, 74
ex-superāre 56
ex-termināre 45
ex-torquēre -rsisse -rtum 27
extrēmum: in e.ō 61
F
facere (magnī...) 61
facētiae -ārum *f pl* 16
facinorōsus -a -um (7), 74

fācundia -ae *f* 65
falcārius -ī *m* 23
familia gladiātōria 19
familiāris -e 7, 12, 13; rēs familiāris 7, 12
familiāritās -ātis *f* 8, 74
faucēs -ium *f pl* 44, 64
febris -is *f* 34
ferentārius -ī *m* 71
ferōcia -ae *f* 72
ferrāmentum -ī *n* 48
fidēs pūblica 42, 47, 54
flūxus -a -um 5, 8
formīdāre (12, 74)
formīdolōsus -a -um 62
fornix -icis *m* 66
frequentia -ae *f* 27, 30, 42
furibundus -a -um 36
furiōsus -a -um 31, 52
fūrtim 50
G
gāneō -ōnis *m* 7
gelidus -a -um 34
gēns: ubi gentium 23
genus -eris *n* 7, 15, 65, 71
grātuītō *adv* 9
gregārius -a -um 70
gula -ae *f* 66
H
haerēre 74
haruspex -icis *m* 43, 48
haud-quāquam 5
hebēscere 21
hesternus -a -um 46
hodiernus -a -um 44
honestāre 33
huiusce 10; h. modī 8, 11, 55, 60, 68
I
-ī = -iī *gen m* 14, 18, 52, 54, 64
-ī = -iī *gen n* 5, 10, 13 *& passim*
id temporis 24
ignāvus -a -um (11), 68
ignōminia -ae *f* 13, 26
im-moderātus -a -um 7, 43, 63
im-mūtāre 7, 19
im-parātus -a -um 9, 17
im-perītus -a -um 33
importūnus -a -um 30
improbitās -ātis *f* 49
im-pūnītus -a -um 28, 56
im-pūrus -a -um 8
in prīmīs 5, 6, 8, 15, 60
incēnsiō -ōnis *f* 48
inceptus -a -um *part perf* < incipere 12, 56
incertum: in incertō habēre 39
incessus -ūs *m* 8
in-cidere 8
in-cōnsultē 39
in-cruentus -a -um 72
in-cultus -a -um 5
incultus -ūs *m* 66
in-demnātus -a -um 58
index -icis *m* 54
in-dūcere, (in) animum i. 30, 65, 69
inedia -ae *f* 7
in-esse + *dat* 9, 14, 39, 68
ingenuus -a -um 72
in-gravēscere 34
in-honestus -a -um 12, 18
in-īre 28, 69
initiāre 27
in-noxius -a -um 39
inquilīnus -a -um 36
inquinātus -a -um 73
īn-simulāre 50
īn-solēns -entis +*gen* 6
īn-somnia -ae *f* 17
īn-stāre 66
īn-super *adv* 66
integritās -ātis *f* 65
intempestus -a -um 17, 36
inter-rogāre (lēge) 9, 19
intestīnus -a -um 7, 22
in-tolerandus -a -um 69
in-ūrere 26
īrācundia -ae *f* 57
ir-rētīre 26
iūrgium -ī *n* 19
iūxtā *adv* 5, 58, 68, 72
L
languēre 40, 62
Lār Laris *m* 12
lēctus -a -um 55, 70
lēnitās -ātis *f* 51
lepōs -ōris *m* 16
līberālis -e 61
līberālitās -ātis *f* 61
lībertus -ī *m* 54, 55, 70
libīdinōsus -a -um 74, *adv* -ē 58
līnum -ī *n* 48
lūctuōsus -a -um 70
lūculentus -a -um 19
luxuriōsus -a -um, *adv* -ē 74
M
māchinātor -ōris *m* 46
mactāre 32, 35
magis est ut... 74
male-dictum -ī *n* 13, 36
male factum (male-factum) -ī *n* 61
male-volentia -ae *f* 6
malleolus -ī *m* 34
manifēstus -a -um 39, 44, 49, 53, 64
manifēstō *adv* 46, 53
manus -ūs *f* 49, 50
mātūrāre 8, 11, 36, 37
meritō *adv* 50, 58, 59
-met: nōs-met 11, sua-met 14, sē-met 41
misericors -rdis *adi* 61
moderārī +*dat* 58, 59
modo + *coni* 24
modus - ī *m:* modum facere 15
mōlīrī 22, 23, 45
mollitia -ae *f* 63
mūcrō -ōnis *m* 44
multāre 32
multiplex -icis *adi* 74
mūnicipium -ī *n* 10, 19, 60, 62, 69
mūnificentia -ae *f* 65
N
naufragus -ī *m* 34
necessitūdō -inis *f* 9, 10, 13, 69
nefārius -a -um 22, 25, 31, 35, 45, 52, 56, 64
negōtiārī 38
nēquitia -ae *f* 21, 33
nihil-dum 46
nōminātim 52
nōs-met 11
novae rēs 17, 21, 38, 43, 67
novāre 66
O
obnoxius -a -um 8, 12, 14, 54, 62
obscūrāre 22
obscūrum: in obscūrō 57
obsequium -ī *n* 73
ob-sīdere 41
ob-sistere 25, 26, 53
ob-stāre (+*dat*) 63, 68
ob-strepere 36
offēnsus -a -um 27
of-ficere (+dat) 17, 55, 68
ōrdine 56
ōrdō 73; (senātōrius) 9, 21, 61; (equester) 10
P
pactiō -ōnis *f* 16
pactō 27, 34
pacīscere – pactum 31
pars: aliī... pars... 54, 72
partēs (reī pūblicae) 6, 73
pendere 61
penis -is *m* 7
pēnsī habēre 7, 14; pēnsī esse 64
per-cipere 32
perditum īre 37, 61
perditus -a -um 22, 25, 30, 32, 36, 51, 52
per-dūcere 39, 42, 51
peregrīnārī 5
per-fringere 28
per-fruī 31
perīclitārī 25
periūrium -ī *n* 8
per-legere 43
perniciōsus -a -um 21, 25, 31, 32
per-pellere 16
perpetuum, in p. 34
per-scrībere 6, 50
pestis -is *f* 20, 25, 34, 35
petītiō -ōnis *f* 14, 16, 26
pinguis -e (52)
plācāre 28
plānitiēs -ēī *f* 70
plērus- -a- -um-que 10
populārēs -ium *m pl* 14, 15, 62
porrō 42
portātiō -ōnis *f* 39
potīrī +*gen* 43
prae-acūtus -a -um 67

praeditus -a -um +*abl* 57
praefectūra -ae *f* 46
prae-ferre 26
prae-scrībere 48
praesentia -ae *f* 19, 27
prae-sidēre 68
praestō *adv* 47
praestōlārī 31
prīmum: in prīmīs 5, 6, 8, 15, 60
prīvignus -ī *m* 8
prō 14, 18, 19, 67, 70
prō... crēdere/habēre/dūcere 6, 8, 59, 62, 69
probrum -ī *n* 14
procāx -ācis *adi* 16
prōcūrātiō -ōnis *f* 51
profectiō -ōnis *f* 35
profitērī 10
profūsus -a -um 7
prō-lātāre 40
prōnus -a -um 5
propediem 37, 67
prō-ripere, sē p. 36
prōrsus *adv* 8, 9, 14, 16
prōscrīptiō -ōnis *f* 13
prōvidentia -ae *f* 50
prō-vidēre 45, 53, 55, 56, 60, 71
psallere 15
Q
quaestiō -ōnis *f* 28
quā-propter 69
-que... -que 37
quī *adv* 58
quīn + *coni* 65
quippe 43, 62
quō (-ior/-ius) +*coni* 14, 39, 54, 68, 70
quō, nōn quō 37
quō ūsque 12, 20
quō-minus 52, 59, 60
R
rapācitās -ātis *f* 73
rapāx -ācis *adi* (73)
-re = -ris *2 pers pass/dēp* 20, 22, 28, 30, 31, 32, 60, 68
recipere + *dat* 48
re-cognōscere 22, 23
re-condere 21
rēctā *adv* 30
recūsātiō -ōnis *f* 46
red-imere 8
red-undāre 33
rē-fert 62
re-ficere (animum) 54
re-formīdāre 74
re-levāre 34
remissus -a -um 74
re-morārī 21
repetundae -ārum *f pl* 10
re-pudiāre 29, 41, 67
requiēs -ētis *f*, *acc* -iem 58
re-quīrere 38
rēs: in rem 11
rēs familiāris 7, 12
re-sidēre 25, 34
re-spuere 74
re-stāre -stitisse 45
re-tundere 44
rogāre (lēgem) 32
S
sacerdōtium -ī *n* 13
sacrilegus -ī *m* 8
saepe numerō 61, 64
sagāx -ācis *adi* 29
scrīnium -ī *n* 42
sē-cēdere 11, 34
senātōrius -a -um 9
sentīna -ae *f* 25
sēparātim 63
servitia -ōrum *n pl* 15, 41, 42, 54, 67
sēstertia *n pl* 19
sevēritās -ātis *f* 25, 33, 65
sīca -ae *f* 27, 47, 48
signātor -ōris *m* 9
silēre 26
simulātor -ōris *m* 7
socordia -ae *f* 6, 63, 68
sodālis -is *m* 29
solēre solitum esse 14, 43, 55
sollemnis -e 14
sollicitātiō -ōnis *f* 51
somniculōsus -a -um (52)
sōns sontis *adi* 9
sparus -ī *m* 67
spectātus -a -um 11
speculārī 22
spīritus -ūs *f* 26
stimulus -ī *m* 73
stīpātor -ōris *m* 7
stipendium -ī *n* 12
stirps -pis *f* 34
studēre +*acc*+*inf* 5, 38
subdolus -a -um 7
sub-levāre 65
sudis -is *f* 67
superāre 12
supervacāneus -a -um 57, 69
sup-petere 9
supplicia -ōrum *n* 63
supplicium sūmere (dē) 55, 59, 64, 66, 67
sustentāre 65
T
tabellae 48, 49, 50
tābēs -is *f* 37
tabulae novae 13
taciturnitās -ātis *f* 27, 50
tantī est 30
temere 36, 47
tendere 71
tetrarchēs -ae *m* 12
toreuma -atis *n* 12
torpēscere 9
torquēre -rsisse -sum 74
trāmes -itis *m* 67
trēs-virī -ōrum *m pl* 66
tuērī 73
turpitūdō -inis *f* 26, 30, 69
U
ūsūra -ae *f* 33
ūsus -ūs *m* 43, 55
ūtī (familiāriter) 73
utpote 68
V
vacuē-facere 26, 27
vānitās -ātis *f* 14
vāstāre 8
vāstitās -ātis *f* 25
vēcordia -ae *f* 8
vel-utī 5, 6, 37, 39, 42, 43
venerārī 30, 53
veterānus -a -um 70; *m* 71
vexāre 6, 7, 12, 33, 55
vexātiō -ōnis *f* 28
vigiliae -ārum *f pl* 19, 20, 23, 36, 53
vindex -icis *m* 66
virtūs -ūtis *f* 5, 6
volvere (sēcum) 36, 39

INDEX NOMINVM

A
Ahala, C. Servīlius 21
Allobrogēs 38-41, 45-49, 51, 54, 64
Annius Chilō, Q. 9, 51, 55
Antōnius, C. 4, 13, 15, 16, 37, 67-70
Āpulia 16,18,39,42,51
Arrētīnus, ager 37
Athēniēnsēs 58
Aurēlia Orestilla 8
Autrōnius, P. 9, 10, 43
B
Bēstia, L. 9, 40
Bruttium 39
Brūtus, D. Iūnius 39
C
Caelius Rūfus, M. 73
Caepārius 42, 43, 51, 64, 66
Caesar, C. Iūlius 43, 55, 60, 61, 65
Caesar, L. Iūlius 4, 9
Camers 16
Campus (Mārtius) 16, 25
Capitōlium 10, 43, 48
Capua 18,19
Carthāginiēnsēs 56
Cassius Longīnus, L. 9, 40, 41, 48, 51, 52, 55
Catilīna, L. Sergius *passim*
Catō, M. Porcius 60, 64-66
Celer, Q. Metellus 18, 39, 68
Cēpārius, *v.* Caepārius
Cethēgus, C. Cornēlius 9, 36, 40, 42, 43, 46-48, 51-55, 64, 66, 67
Cicerō, M. Tullius 4, 14-20, 31, 36-40, 43, 44, 54, 59
Cimber, P. Gabīnius 46
Cimbricum, bellum 70
Cinna, L. Cornēlius 43, 48
Comitium 26
Concordiae, aedēs 42
Cornēlius 48, *pl* 43, 66
Cornēlius, *v.* Cethēgus, Cinna, Lentulus
Cornēlius, C. 10, 17
Cornificius, Q. 43
Cotta, L. Aurēlius 4, 11
Crassus, M. Licinius 10, 43, 54
Crotōniēnsis 41
Curius, Q. 10,14,16,17
D
Damasippus 59
E
Etrūria 16, 17, 21
F
Fabius Sanga, Q. 39
Faesulae 15, 16,18, 51; ager Faesulānus 40; Faesulānus *m* 70, 71
Figulus, C. Mārcius 4, 9
Flaccus, *v.* Fulvius, Valerius
Flāminius, C. 37
Forum Aurēlium 31
Fulvia 14, 16, 17
Fulvius Flaccus, M. 21, 33
Fulvius Nōbilior, M. 10
Fūrius, P. 51, 55
G
Gabīnius Capitō, P. 10, 39, 40, 42, 43, 50, 51, 64, 66; Cimber G. 46
Gallī 41, 43, 47-51, 63, 65
Gallia 38-40, 45, 67,68
Gallicus -a -um 38, 45, 63
Glaucia, C. Servīlius 21, 52
Gracchī 33
Gracchus, Semprōnius, Tib. 20, C. 21
Graecia 59
H
Hispānia 11, 13
I
Italia 25, 32, 33, 35, 51
Iūlius, C. 16
Iuppiter Stator 20,24,35
L
Lacedaemoniī 58
Laeca, M. Porcius 9, 17, 23, 24
Lentulus Spinthēr, P. 43
Lentulus Sūra, P. Cornēlius 9, 36-56, 62-68
Lepidus, M'. Aemilius 4, 10, 26
M
Macedonicum, bellum 56
Maelius, Sp. 21
Mānliānus -a -um 24, 34, 36
Mānlius, C. 15-18, 22, 30, 31, 37, 67, 70, 71
Mānlius Torquātus, T. 63
Mārcellus, M. 29
Mārcius Rēx, Q. 18
Marius, C. 21, 52, 70
Massilia 37
Maurētānia 13
Metellus, M. 29
Metellus Celer, Q. 18, 39, 68
Metellus Crēticus, Q. 18
Mulvius, pōns 41, 46
Mūrēna, C. Licinius 40
Mūrēna, L. Licinius 4, (40)
N
Nerō, Tib. 55
Nūcerīnus 13
O
Opīmius, L. 21
Orestilla, Aurēlia 8
P
Palātium 20
Paulus, L. Aemilius 19
Persēs 56
Petrēius, M. 70, 71
Pīcēnus, ager 16, 18, 39, 68
Pīsō, Cn. 10, 11, 13
Pistōriēnsis, ager, 67
Plautia, lēx 19
Pompēius, Cn. 9, 10
Pompēius Rūfus, Q. 18
Pomptīnus, C. 41, 42, 46, 50
Porcia, lēx (32), 58, 60
Porcius, *v.* Catō, Laeca
Praeneste 23
Pūnicus -a -um 56
Q
Quirītēs 44-53 *passim*
R
Reātīna, praefectūra 46
Rhodiī 56
Rōma *passim*
Rōmulus 35
Rūfus, Q. Pompēius 18
S
Saenius, L. 18
Samnītēs 59
Sanga, Q. Fabius 39
Sāturnālia 48, 53
Sāturnīnus, L. 21, 33
Scīpiō, P. 20
Semprōnia 15, 39
Septimius 16
Servīlius Ahala, C. 21
Servīlius Glaucia, C. 21, 52
Sestius, P. 29
Sibyllīnus -a -um: librī 43, fāta 48, 49
Sīlānus, D. Iūnius 4, 55, 57
Sittius, P. 13
Statilius, L. 10, 40, 42, 43,46,48,49,51,64,66
Stator, Iuppiter 20, 24, 35
Sulla, L. Cornēlius 7, 17, 43, 48, 51, 58, 59
Sulla, P. 9, 10
Sulla, Ser. 9, 43
Sullānus -a -um 9,13,17
Sulpicius, C. 47
T
Tarquinius, L. 54
Tarracīnēnsis 42
Terentius, Cn. 43
Tiberis 46
Torquātus, L. Mānlius 4, 11
Torquātus, T. Mānlius 63
Trānsalpīnus -a -um 45, 67
Tulliānum 66
Tullius, *v.* Cicerō
Tullus, L. Volcatius 4, 10, 26
Tūscī 59
U
Umbrēnus, P. 38, 51, 55
V
Valerius, L. 21
Valerius Flaccus, L. 41, 42, 46, 50
Vargunteius, L. 9,17,43
Vesta 8
Volturcius, T. 41, 45, 46, 47, 49, 54, 64

NOTAE

=	idem atque	*gen*	genetīvus
:	id est	Iān.	Iānuāriās, -īs
↔	contrārium	īd.	īdūs, īdibus
<	factum/ortum ex	*īnf*	īnfīnītīvus
/	sīve	*imperf*	imperfectum
+	cum	kal.	kalendās, -īs
a. C.	ante Chrīstum (nātum)	LL	LINGVA LATINA
a. d.	ante diem	*m*	masculīnum
abl	ablātīvus	*n*	neutrum
acc	accūsātīvus	*nōm*	nōminātīvus
adi	adiectīvum	nōn.	nōnās, -īs
adv	adverbium	Nov.	Novembrēs
a. u. c.	ab urbe conditā	p.	pāgina
cap.	capitulum	*pass*	passīvum
coni	coniūnctīvus	*perf*	perfectum
cōs.	cōnsul	*pers*	persōna
dat	datīvus	*pl*	plūrālis
Dec.	Decembrēs	*prp*	praepositiō
dēp	dēpōnēns	*sg*	singulāris
f	fēminīnum	*sup*	superlātīvus
fut	futūrum	v.	vidē

In INDICIBVS numerī pāginās significant.

LINGVA LATINA
PER SE ILLVSTRATA
Hans H. Ørberg

Pars I: **FAMILIA ROMANA**
Pars II: **ROMA AETERNA** & INDICES

EXERCITIA LATINA I
EXERCITIA LATINA II
GRAMMATICA LATINA
COLLOQVIA PERSONARVM

SERMONES ROMANI. Auctores varii
AMPHITRYO. Plautus
DE BELLO GALLICO. Caesar
CENA TRIMALCHIONIS. Petronius
CATILINA. Sallustius & Cicero

CD-ROM FAMILIA ROMANA
CD-ROM ROMA AETERNA
CD-ROM EXERCITIA LATINA I
CD-ROM EXERCITIA LATINA II
CD LATINE AVDIO cap. I–X

Domus Latina, Hans H. Ørberg
Skovvangen 7, DK-8500 Grenaa, Dania
www.lingua-latina.dk
orberg@lingua-latina.dk

87-90696-11-5